DE POTESTATE
PRÆLATORVM
REGVLARIVM
IN FORO INTERNO

Relectio

GEORGII POLACCHI VENETI.



VENETIIS, M. DC. XXIX.

Superiorum Permissu.



D. HIERONYMO
S. E. DOCTORI MAXIMO

Gratitudinis, & obſeruantiæ ergò

VOTVM AVCTORIS.







Ccuinam dignius Opuſculum hoc vouere, & dicare, vel poſsim, vel debeam, quam tibi, ò præſidium, & dulce decus meum, Hieronyme ſancte? Quidquid enim habeo, quidquid poſſum, poſt Deum Optimum Maximum, ac poſt Magnam Matrem, Magnamque Virginem, per te habeo, per te poſſum. Tu Monachus inſuper, Monachorumque Parens, quæ de Religioſa obedientia ego modo diſſerendo trado, ea omnia multo antea, faciendo, docuiſti. Nonne tibi compertum eſt, me à prima adoleſcentia tui amorem, & cultum induiſſe, teque mihi Patronum adoptaſſe, & ducem in periculis, in moleſtijs,

in omni denique vitæ cursu elegisse, etiam in studijs, & felici semper successu? Quod referam pro beneficio nihil habeo, quod idem per te à Domino non acceperim. Reddo id omne, quod mihi impetrasti; optarem plura. Suscipe, obsecro, de manu filij tui, licet immeriti, hoc quantulumcumque munusculum, ac benigno fauore prosequere, dirige, promoue, ad maiorem Dei gloriam, & animarum salutem; Et da, Amantissime Pater, pietatem colam, nec aliud. Amen.

IESVS, MARIA, HIERONYMVS.

DE POTESTATE
PRAELATORVM REGVLARIVM IN FORO INTERNO RELECTIO.

SVMMA.

1. *Votum obedientiæ votis paupertatis, & castitatis præstat.*
2. *Professio in aliquibus Religionibus fit, expresso solo voto obedientiæ.*
3. *Ad quid promittens obedientiam se adstringat.*
4. *Quid sit obedientia.*
5. *Religiosus voluntatem suam in superioris voluntate ponere tenetur.*
6. *Comparatio S. Francisci veri obedientis cum mortuo.*
7. *Religiosus cur mortuis annumeretur.*
8. *Veræ obedientiæ munus.*
9. *Duplex superior, duplex etiam obedientiæ modus.*
10. *Obediendum magis Deo, quam hominibus, Prælato superiori, quam inferiori.*
11. *Obedientia quomodo sit alijs virtutibus præstantior.*
12. *Perfecta obedientia quæ, ex D. Bernardo.*
13. *Cur huiusmodi obedientia appelletur perfecta.*
14. *Conditiones obedientiæ perfectæ.*
15. *Exercentes actus obedientiæ imperfectos in multa prolabuntur peccata.*
16. *Peccata veluti calcei plumbei, & velut catenæ.*
17. *Ægidij Minoritæ pulchrum de obedientia dictum.*
18. *Quando Religiosus vi professionis ad obedientiam teneatur.*
19. *In re totaliter leui an superior in virtute sanctæ obedientiæ possit præcipere.*
20. *Quid sit libertas Christiana.*
21. *Declaratur locus Apostoli 2. Cor. 3.*
22. *Duplex libertas Christiana.*

23. *Soli sapientes liberi.*
24. *Ex supradicto Pauli loco multa absurda colligunt hæretici.*
25. *Locus Apostoli Rom. 13. declaratus.*
26. *Varijs argumentis, parendum esse Principibus, etiam infidelibus probat Paulus.*
27. *Præcipua causa, propter quam gentes christianos sunt persequuti.*
28. *Petrus, & Paulus suis Epistolis ad obedientiam, & subiectionem Principibus præstandam hortantur fideles.*
29. *Signum veræ fidei politicum, & infidelitatis, ac hæresis effectus.*
30. *Cur multi Principes Ethnici etiam num magis Christianos, quam ipsos Ethnicos ament.*
31. *Hæretici in Ecclesia ad condendas leges Ecclesiasticas auctoritatem esse negant.*
32. *Vere in Ecclesia inuenitur potestas, ad condendas leges in conscientia obligantes.*
33. *Probatur hæc veritas ex scripturis.*
34. *Huiusmodi potestas à Christo Petro immediate data est.*
35. *Alijs Apostolis item immediate, sed minus perfecte, quam Petro.*
36. *Paulo quoque, & Barnabæ secundum aliquos, non autem septuaginta discipulis.*
37. *Episcopi iurisdictionem non habent à Christo immediate, sed à Romano Pontifice.*
38. *Quomodo Episcopi possint leges condere sine facultate Papæ.*
39. *An Episcopi possint constitutiones facere sine consensu Cleri, aut populi, aut Synodi.*
40. *An possit idem fieri in Concilio* Prouinciali.
41. *Generales Religionum leges condendi potestatem habent.*
42. *Quas leges condere ipsi possint.*
43. *An extra capitula ijsdem Generalibus hasce leges ferre liceat.*
44. *An supremus Religionis Prælatus obligetur statutis in Generali Capitulo latis.*
45. *An etiam quoad vim directiuam.*
46. *Probatur ex multis, quod Princeps ex legum præscripto viuere debeat.*
47. *P. Nouarinus Clericus Regularis commendatur.*
48. *Varijs similitudinibus ex eodem Nouarino ostenditur, superiores subditos debere virtute praire.*
49. *Necessaria in superiore ad retinendam in alijs disciplinam, obseruatio regularum, quas à subditis vult obseruari.*

50. *Quanta*

50. *Quanta sit exempli vis, ac potestas ex varijs scriptoribus ostenditur.*
51. *Huius potestatis causæ plures.*
52. *Duplex in Prælatis Religionis potestas, iurisdictionis scilicet, & potestas gubernatiua, seu dominatiua singulorum Religiosorum.*
53. *Hæc potestas dominatiua per se sola sufficiens est ad verum statum religiosum constituendum.*
54. *Probatur hæc assertio argumento sumpto ex Monacharum Monasterijs.*
55. *Probatur etiam eadem assertio ex antiquis Monachorum Monasterijs.*
56. *Vnde potestas dominatiua oriatur.*
57. *Propria iurisdictio vnde originem trahat.*
58. *Titulus potestatis dominatiuæ quis.*
59. *Potestas iurisdictionis vnde pendeat.*
60. *An Papa Religiosis, vt ceteri illorum Prælati præcipere possit.*
61. *An Papa in Religiosos potestatem dominatiuam habeat.*
62. *Ad quid religiosos societatis Iesu obliget votum obedientiæ ad summum Pontificem.*
63. *Prælati Religionum potestate dominatiua possunt suis præceptis obligare subditos in conscientia.*
64. *Prælati supradicti etiam ex vi potestatis iurisdictionis idem præstare possent.*
65. *Contra obedientiam Prælatis debitam præscribi non potest.*
66. *Obedientia religiosa à Ioanne XXII. commendata.*
67. *Aliquando iure canonico inferior potest addere pœnam prohibitioni, & legi superioris.*
68. *Generalis Religionis potest addere pœnas prohibitionibus, & legibus in Capitulo generali latis, licet ei prohibeatur extra Capitulum leges condere.*
69. *Generalis Minister, & Prouincialis Minorum quomodo possit præcepta ponere.*
70. *Papa nihil sine consilio operari solet.*
71. *An Generalis teneatur sequi consilium sibi datum.*
72. *Quando teneatur sequi consensum.*
73. *An detur casus, in quo possit Generalis sine consilio aliorum Patrum aliquid suis subditis præcipere.*
74. *Potest Generalis addere pœnas transgressoribus constitutionum suæ Religionis.*

75. *Reprehenditur quorumdam superiorum ambitiosa segnities.*

76. *Excommunicationis gladio non nisi in grauissimis causis vtendum.*

77. *Recedentes à Regularum Constitutionum qui obseruatione votorum suorum custodiam deserunt.*

78. *An Prælatis Regularium liceat excommunicationis sententiam oretenus proferre.*

79. *An dicti Prælati possint sibi reseruare absolutionem excommunicationis à se fulminatæ.*

80. *In quibuscumque dispositionibus attendenda est potius disponendi voluntas, quam verba.*

81. *Superior quomodo mel simul, & aculeum habere debeat.*

82. *Dictum D. Petri Damiani circa id.*

83. *Probatur Prælatos Religionum posse sub mortali subditos obligare.*

84. *Regula ad cognoscendum, quando superior obligat ad ueniale, vel mortale.*

85. *Ex materiæ grauitate, & leuitate, non ex voluntate legislatoris culpa venialis, aut mortalis iudicanda est.*

86. *An sit in potestate legislatoris obligare ad solum veniale, si materia grauis est.*

87. *Differentia mortalis, & venialis peccati non pendet ex vlla voluntate, nec etiam Dei.*

88. *Probatur hæc aßertio.*

89. *Aliqua peccata sua natura mortalia, non ex Dei voluntate eße, & aliqua venialia ex se, non ex Dei misericordia, probatur.*

90. *Prælatorum præcepta, non supposita materia grauitate, non obligant ad mortale, licet ipse in voluntate obligandi perseueret.*

91. *Peccat Prælatus intendens obligare, non supposita tali materiæ grauitate.*

92. *Deberet subditus propter duo obedire, quamuis materia tam stricti præcepti non sit capax.*

93. *In dubio præsumendum est materiã præcepti stricte dati esse grauem.*

94. *An Superior præceptum ferre possit de re graui ad veniale tantum obligans.*

95. *Grauem obligationem imponere in materia re vera leui, excedit rationis limites.*

96. *Quando non constat de limitata legislatoris voluntate, recurrendum est ad materiæ grauitatem.*

97. *Probibita, aut præcepta etiam à summo Pontifice non semper probibentur,*

tur, aut præcipiuntur sub reatu lethalis culpę.
98. Ex materię pręceptę dignitate, & pœna lege transgressoribus statuta, colligitur, an præcipiens obliget sub lethali, aut veniali culpa.
99. Supposita materiæ grauitate, vnde constet intentionem præcipientis esse obligare sub lethali peccato.
100. Dum de materiæ grauitate non constat, tenetur Subditus superioris iudicio stare.
101. Vt ex pęnis possit præcipientium intentio colligi.
102. An pręcipiens sub pœna excommunicationis ferendę, ad culpam lethalem statim obliget.
103. An possit à supradicta obligatione obediendi aliquo modo excusari Religiosus.
104. An Superior possit, non obstante coactione, mortis periculo, vel alia necessitate, obligare tamen Religiosos.
105. Quomodo in Pręlatis religiosis sit potestas coerciua ad pœnas.
106. Facultas excommunicandi subditos à summis Pontificibus Prælatis Clericorum Canonicorum Saluatoris Lateranen. specialiter concessa.
107. Canonici S. Spiritus Venetiarum Indultis, & priuilegijs, omnibus Canonicis Lateranen. concessis gaudent.
108. Quam ampla sint Indulta Canonicis Lateranensibus concessa.
109. Communicatio priuilegiorum aliorum ordinum Congregationi Canonicorum lateranen. facta, an extendatur etiam ad viuæ vocis oracula.
110. Viuæ vocis oraculum Sixti V. pro Abbatibus Congregationis Casinensis.
111. Excommunicationem comminatoriam primum fulminare deberent Religionum Prælati.
112. An in Abbatissis sit huiusmodi potestas coerciua ad excommunicationis, & aliarum censurarum pœnas.
113. An fœminæ iurisdictionis sint incapaces.
114. An mulier potestatem aliquam Ecclesiasticam habere possit.
115. Quomodo Abbatissæ possint suis Monialibus præcipere, & qua ratione ipsæ Moniales teneantur ipsis Abbatissis obedire.
116. An Abbatissę ecclesiasticę iurisdictionis, delegatę saltem capaces sint.
117. Canonistę feminis ecclesiasticis etiam ordinariam, ac spiritualem tribuunt iurisdictionem.
118. Quæ obseruanda in constitutione Honorij III. circa Abbatissæ potestatem.
119. An feminis potestas legislatiua delegari posit.

120. *An Papa dispensare possit, vt mulier publicè doceat.*
121. *S. Catharina Senensis apud Papam, & Cardinales sermonem habuit:*
122. *Abbatissas quemdam vsum clauium habere affirmat D. Thomas.*
123. *An Abbatissæ possint obligare sub peccato mortali, & in virtute sanctæ obedientiæ precipere.*
124. *Quomodo Abbatissis potestas dominatiua conueniat.*
125. *An Prælatis Religionis coerciua potestas sit ad pænas corporales.*
126. *An lex humana pęnalis ad culpam mortalem obliget transgressores.*
127. *An non soluentes consueta vectigalia peccent; & sint restitutioni obnoxij.*
128. *Asserere constitutiones pęnales Religionum in re graui non obligare ad mortalem culpam saltem erroneum est.*
129. *Ex grauitate materiæ ex se, & ex ordine ad finem legislatoris legis obligatio ad mortale colligitur.*
130. *In hac assignanda regula non omnes Doctores conueniunt.*
131. *Vasquez tres sententias Doctorum circa hoc particulare improbat.*
132. *Opinio Caietani in hac materia.*
133. *Vasquez suam affert, & probat.*
134. *An in præcepto de non ludendo ad aleas reperiatur materiæ grauitas*
135. *Syluestri interpretationem circa prohibitionem clericis factam de non ludendo, non approbat Comitolus.*
136. *Barbosa affert Doctores asserentes clericis non licere ludere ad aleas, seu taxillos.*
137. *Huiusmodi ludi de præcepto, non autem de consilio clericis prohibiti.*
138. *Diuersis pænis clerici lusores mulctantur.*
139. *Quid Concilium Tridentinum circa clericos lusores decreuerit.*
140. *Hæc omnia in Religiosis multo magis procedunt.*
141. *Religiosis ludus etiam alias licitus prohibetur.*
142. *Judices Regularium arbitrariam sententiam ferre debent contrà lusores fratres.*
143. *Puniri debent Regulares, licet non ludent, dummodo sint ludi participes.*
154. *Cur Religiosus pecuniam ludo exprimere non possit.*
155. *Ludens cum religioso, pecuniam, quam lucratus est, monasterio tenetur restituere.*
146. *Quando pecuniam Religiosus ludo honesto exponere possit.*
147. *Ludus aleæ etiam laicis prohibitus.*

149. *Ex ludo plura naſcuntur inconuenientia.*
150. *An aliquando liceat Religioſo chartis luſorijs ludere.*
151. *Quando dicatur Religioſus violare aliquã legẽ obligantẽ ad mortale.*
152. *Debet Superior prohibere ſuis ſubditis in virtute obedientiæ, ne ludant cum feminis, nec diebus feſtiuis, vel quadrageſimæ.*
153. *Poteſt Superior ſubditis omnino ludum prohibere.*
154. *An in præcepto Superiorum Regularium, ne habitus molles, aut pretioſos deferant ſubditi, inueniatur materię grauitas.*
155. *De hoc particulari extat mandatum in Regula S. Auguſtini.*
156. *Quando peccent mortaliter tam Prælati, quam Religioſi ſimplices, veſtibus pretioſis vtentes.*
157. *Probatur ex Patribus ornatum exteriorem in Religioſo ſignum eſſe vanitatis.*
158. *Tria ſunt, quæ hominis interiora produnt.*
159. *Ex Euangelio ornamenti ſuperfluitas, & pretium reprehenditur.*
160. *Prima veſtis, protoplaſto à Deo parata, ex qua materia contexta.*
161. *Grauis eſt materia de veſtimentis inhoneſtis Religioſorum.*
162. *Dictum Cypriani de luxu veſtium, & ornatu mulierum.*
163. *Religioſus nimium ſe ornans, ſaltem de impudicitia ſuſpectus eſt.*
164. *Exemplum Claudię Veſtalis.*
165. *Dictum gloſ. ſuper Luc. 16. circa pretioſarum veſtium cultum.*
166. *An Moniales, ſeipſas ornantes, à mortali culpa poſſint excuſari.*
167. *Mulierũ ẽt ſecularium ornamẽta à patrib. varijs rationib. impugnata.*
168. *Dictum B. Thomę Mori cuidam puellæ, quæ cum multo labore, & dolore corporis cultui operam dabat.*
169. *Confeſſarij matura vtantur reflexione circa Moniales ſe exornãtes.*
170. *Dictum Bernardi de corporis cultu.*
171. *Quid Scardeonius ſcribat de nimiò corporis cultu in velatis Virginibus.*
172. *An mulier non obediens in gratiam mariti ſtatuto Epiſcopi prohibentis ſub pæna excommunicationis ipſi ornamenta fucati coloris, & alia ſit excommunicata.*
173. *Orphæus de Cancellarijs latiſſime de mulierum ornatu ſcripſit.*
174. *Abbatiſſa ſuas Moniales, & Prælatus ſuos fratres, præcipiendo eis in virtute ſanctæ obedientiæ, ne mollibus, & pretioſis induantur, intendunt ad lethalem culpam obligare.*
175. *Quando perſonæ Religioſæ occultando, aut mutando habitum, in excommunicationem incidant.*

176. *Talis*

176. *Talis quis præsumitur, qualem eum habitus indicat.*
177. *An à pęna excommunicationis excusetur, Clericum in habitu laicali repertum percutiens.*
178. *Virgo in habitu meretricio præsumitur meretrix.*
179. *Excusatur Prętoris familiā, sine insignijs incedentem verberans, sicut etiam contendens cum rectore Gymnasii carente pariter insignijs.*
180. *Repertus in habitu laicali, vel clericali, tempore commissi delicti, talis habendus est.*
181. *Grauitas materiæ præcepti cōtra Religiosos coronam non deferentes.*
182. *Hęretici derident nos quo ad clericalem tonsuram.*
183. *Clericalis corona spinea coronę saluatoris symbolum.*
184. *Qualis semper fuerit hæc tonsura ex Patribus ostenditur.*
185. *D. Petrus attonsus fuit à Gentilibus ignominiæ causa.*
186. *Anicetus Papa huiusmodi tonsurę mysterium clarius, & religiosius venerari voluit.*
187. *Quatuor obiectionibus, quę contra hanc tonsuram fieri solent, respondetur.*
188. *Clericus in sacris constitutus, aut beneficiatus quando peccet mortaliter, non deferendo tonsuram.*
189. *Probatur præceptū de nō gestādis armis clericis esse de materia graui.*
190. *Pęnę, quibus afficiuntur clerici, arma deferentes.*
191. *Monaci nigri excommunicantur, etiam si arma intra septa Monasterij detineant.*
192. *Quando agitur de euitando animarum periculo, etiam in pœnalibus fit extensio.*
193. *Quid de nocturna furtiuaque religiosorum extra Monasterium mora sentiendum est.*
194. *Semper damnosa est egressio è Monasterio, debitis modis non facta.*
195. *An supradicta mora in casu reseruato includatur.*
196. *Prohibitio ęgressionis nocturnę è Monasterio, cum alia prohibitione morę nocturnę extra ipsam simul iungitur.*
197. *Plurima damna eueniunt Religiosis, si extra Monasterium reperiantur, & vagentur.*
198. *Quid Religiosorum clausura requirat.*
199. *Peccant Pręlati, qui passim Religiosis suis vagandi per vias facultatem faciunt.*
200. *Ad tria capita damna, quæ ab exitu nimio Religiosorum extra Monasterium prodeunt, reuocantur.*

201. *Primum*

201. *Primum est periculosa animæ.*
202. *Hoc periculum tribus similitudinibus explicatur.*
203. *Secundum est detrimentum bonæ existimationis.*
204. *Cur conuersatio nimia pariat contemptum, puellæ, & picturæ similitudinis ostenditur.*
205. *Tertium damnum ex nimio Religiosorum extra Monasterium exitu proueniens, est scandalum, & offensio extraneorum.*
206. *Videre Religiosum extra Monasterium per plateas procedere idem est, ac videre mortuum de sepultura egressum idem facientem.*
207. *Clementis VIII. Decretum circa egressum Monachorum Cælestiuorum de Monasterio.*
208. *Prælati permittentes Religiosos ad peragenda Monasterij negotia solos egredi peccant.*
209. *Religiosi procurantes vt soli egrediantur, peccant vt minimũ venialiter.*
210. *Religiosi debent esse associati, veluti duo cherubim in tabernaculo.*
211. *Explicatur id similitudine solis, & lunæ.*
212. *Prælati ordinis Præmonstratensis nec Religiosos beneficiarios in Parochijs solos manere patiuntur.*
213. *Decretum Concilij Lateranensis sub Alexandro III. circa hoc particulare.*
214. *Idem præcipit Innocentius III.*
215. *Sistus V. sub graui pœna prohibet, ne sine socijs in parochijs habitent Religiosi.*
216. *Cum nulli Asceta liceat pedem è cœnobio efferre inscio superiore, multò minus adolescentibus id licebit.*
217 *Causam affert sanctus Basilius.*
218. *An superiores Religiosorum iuuenibus prohibendo ingressum in aliorum cellas, obligare ad mortale intendãt, tam ingredientes, quam permittentes ingressum.*
219. *An superior possit id, quod alioquin est veniale, sub pœna peccati mortalis prohibere.*
220. *Prælatus potest aliquando sub mortali silentium præcipere.*
221. *Ingressus in aliorum cellas imperitis vitæ perfectionis pro nihilo habetur.*
222. *Probatur ex constitutionibus multarum Religionũ, huiusmodi ingressum & maximè nocturno tempore bonam religiosæ disciplinæ partẽ continere.*
223. *Causã tam salutaris legis omnes prudenti lectori cogitandam reliquunt.*
224. *Ianua debet esse non omnino clausa, quamdiù habitator cubiculi, & qui ad eum est ingressus, fuerint vna.*
225. *In ordine Cisterciensi apud Hispanos ingressus in cellam alienã, sine Abbatis licentia, casus est reseruatus.*

226. *Eadem*

nisi ad urbem accedentes.

252. Ponderatur in hoc Decreto verbum Prælati contemnuntur, & applicatur verbis supradicti Martini V. nisi ex contemptu contrafiat.
253. Materia de contemptu à Doctoribus varie explicatur.
254. An ex consuetudine præsumatur contemptus.
255. Frequentia peccandi inducit ad contemptum.
256. Locus Prou. 18. Impius cũ in profundũ malorũ venerit varie explicat.
257. Religiosos cum pertinacia asserentes, Superiorem non posse eos obligare ad mortale in illis rebus, in quibus eos Cõstitutiones non obligant, in supradictum profundum probatur deuenisse.
258. Summus Pontifex dicens, se nolle obligare ad mortale constitutionibus Religionis, non intendit ideo subditos à potestate dominatiua suorum Superiorum eximere.
259. Item peccatum à re, quæ de sui natura grauis est, & mortifera multo minus noluit separare.
260. Contemptus in omni specie peccatorum pari pondere grauis est.
261. Id omne ex ordinatione Sixti IV. confirmari potest.
262. Declaratur supradicta Pontificia ordinatio.
263. Nec etiam Summus Pontifex intendit eximere religiosos à potestate gubernatiua suorum Superiorum.
264. Qua potestate Generalis præcipiat subditis sub lethali.
265. Quomodo intelligendæ constitutiones Religionum, prohibentes Superioribus, ne leges condant ad mortalem culpam obligantes.
266. Potestas gubernatiua à superiore inseparabilis.
267. An potestate sua ordinaria iurisdictionis possit superior præcipere aliquãdo sub mortali, non obstante quod illi id prohibeatur.
268. Quantum à Capitulis generalibus, immo & à summis Pontificibus Generalium Ordinum iurisdictioni tributum.
269. An dispensatio in lege naturæ cadere possit.
270. An iurisdictio Prælatorum regularium in suos subditos sit aliquo modo de iure diuino.
271. Prelatorum regularium iurisdictio in subditos ordinaria est.
272. Jurisdictionis ordinariæ limitationes stricte interpretandæ.
273. Quomodo is, qui professionem in religione, quæ à rigore suæ primitiuæ regulę multum remisit, ad obseruandam regulam primitiuam teneatur, & referuntur variæ sententiæ. (Reg.
274. Jn hac quęst. distinguẽdũ est, qualis sit relaxatio, vel mitigatio facta ĩ
275. Secũdũ relaxationis modos, diuersimode ad dubitationẽ respõdẽdũ est.
276. Ad reformationem essentialium, & annexorum ipsis, qualia sunt ea

pretiosius, quàm illa; sed etiam quòd, vt ait S. THOM. 2.2. q. 186. art. 8. & q. 104. art. 3. illa in se includat, multaque alia superaddat. Nam & paupertas, & castitas sunt etiam obedientiæ materia, præter illa, quæ leges, ac regulæ præscribunt; & Prælati iniungunt. Quamobrem in aliquibus Religionibus

2. professio fit, expresso solo Voto obedientiæ iuxta Regulas; cõprehenduntur enim hoc voto reliqua duo. In Regula enim S. Benedicti, vt scribit AZORIVS *Instit. Mor. p.* 1. *lib.* 12. *c.* 4. *q.* 2. qui profitetur vtitur hac forma; *Ego* N. *Monachus promitto stabilitatem, & conuersionem morum meorum, & obedientiam, coram Deo, & Sanctis eius, secundum Regulam S. Benedicti, in præsentia* N. *Abbatis*; Cartusienses autem profitentur sic; *Ego* N. *Frater promitto stabilitatem; obedientiam, & conuersionem morum meorum.* In quibus professionibus intelligitur sub obedientia regulari paupertas, & castitas; Et licet non exprimantur, continentur in Regula. In Ordine Prædicatorum etiam non exprimitur castitas, & paupertas, sed obedientia secundum Regulam S. Augustini, & Constitutiones eiusdem ordinis, vt constat *ex lib. Constit. ordinis dist.* 1. *c.* 15.

3. Qui promittit obedientiam, astringit se ad quotidianam propriæ

4. voluntatis mortem. Est enim obedientia *ex S. IOAN. CLIMACO, in Scala Cæli grad.* 4. mors spontanea, non quidem corporis, aut animæ, sed voluntatis, quæ pollicetur se non victuram sibi, sed Dei voluntati, in qua se sepelit adeo, vt verum etiam illud sit, Obedientia est sepulchrum propriæ voluntatis; Vnde infertur, quod sicut mortuus proprio motu non mouetur, nec mouenti reluctatur, sed si mouetur, id non nisi ad motum alterius, videlicet trahentis, vel sepulchri fit. Ita viri Religiosi est, voluntatem suam in voluntate superioris, tamquam in sepulchro

5. collocatam, non nisi ad eius motum, modo in hanc, modo in illam partem determinatam flectere. Hoc voluit (ni fallor)

6. magnus syncerę obedientiæ Franciscus, cum ait, vt testatur BONAVENT. *in eius vita cap.* 6. *Tolle corpus exanime, & vbi placuerit, pone; videbis non repugnare motum, non murmurare situm, non reclamare dimissum. quod si statuatur in cathedra, non alta, sed ima respicit. si collocetur in purpura, duplo pallescet. Sic verus obediens, qui cum moueatur non dijudicat, vbi transmutetur non instat. Euectus ad officium solitam tenet humilitatem; plus ho-*

noratur, plus reputat se indignum. Et hæc vna est ex causis, cur
7. Religiosus mortuis annumeretur, videlicet, quod sicut mortuus perdit motum suum, ita Religiosus voluntatem, quam non mouet, nisi ad motum tacitum, vel expressum Superioris.
8. Notum est insuper huius obedientiæ in genere munus esse, implere præcepta superioris, quicumque ille sit; relinquendo, si opus est, proprium sensum, & voluntatem, vt impleat, quod ille
9. vult, & mandat. Cùm autem duplex sit Superior, Deus scilicet & homo, ita est duplex modus obedientiæ. Prima, & præcipua inducit ad implenda præcepta Dei, in quibus diuina eius voluntas elucet; quæ prima est, & suprema Regula omnium creatarum voluntatum; quæ innotescit creaturis ex præceptis, quæ ille ponit in materia omnium virtutum, licet non in omnibus earum actibus. Altera obedientia exhibetur hominibus Superioribus, auctoritatem habentibus ab Ipsomet Deo, qui per eos gubernat, & aliqua præcepta præscribit, volens, vt eis obediatur. Hæc igitur virtus inclinat eorum subditos ad exequendũ quidquid illi iubent, quod non aduersetur ijs, quæ Deus in sua lege seruanda præscripsit. Nam, vt Apostoli dixerunt, *Obedire*
10. *oportet Deo magis, quàm hominibus*. Quare numquam faciendum est quod homines iubent, si aduersetur ijs, quæ iussit Deus. Sicut inter ipsos homines obediendum est Prælato Superiori, quàm inferiori, potestatem ab eo accipienti; nec inferiori est parendũ in eo, quod præcipit contra mandatum Superioris. Ex quo, fit, vt secunda hæc obedientia primam semper includat, eidemque ita innitatur, vt ex vtraque fiat vna valdè perfecta.
11. Quæri potest, Vtrum obedientia sit præstantior ceteris virtutibus; pro qua quæstione respondendum est, posse id quæri, vel de obedientia omnibus Christianis communi, quam Christianam vocare possumus, vel de obedientia religiosa. De vtraque dicere licet, quod sit præstantior ceteris virtutibus moralibus, excepta religione. Non est tamen præstantior Theologicis, quia hæ immediate cum Deo mentem coniungunt, & ad omnes alias se extendunt; fides dirigendo, spes, & charitas imperando, idque ex altiori motiuo; nec tantum ad opera præcepta, sed etiam ad consulta pertinent. Idem dicendum de virtute religionis; hæc enim ipsum Deum colit, cum obedientia eius præceptum duntaxat intueatur. Sed notandum, si lo-

quamur de obedientia religiosa, in qua subijcit se Religiosus homini propter Deum, quod ipsa includit nō solum nudam virtutem obedientiæ, quæ respicit debitum præcepti, sed etiam virtutem religionis, & charitatis, vt colligitur ex D. THOMA *lo. cit. quæst.* 104. *ar.* 3. Perfecta enim obedientia, vt ait D. BERNARDVS *de dispensat. & præc. legē nescit, terminis non arctatur, nec contenta angustijs professionis, largiori voluntate fertur in latitudinem charitatis; & ad omne, quod iniungitur, spontanea, vigore liberalis, alacrisque animi, modum non considerans, in infinitam libertatem extenditur.*

13. Hæc obedientia perfecta appellatur, non quæ nullis terminis coarctatur, sed quæ secundum Regulam, & Constitutiones Ordinis exercetur. Vocatur autem perfecta, quia subditum perfectè secundum ordinis institutum Prælato subijcit, & obedientiæ

14. perfectæ conditiones induit; quæ sunt, obedire libenter, simpliciter, hilariter, velociter, fortiter, siue constanter, & humiliter. Ad eas attendere debent studiosè Religiosi; ne, sicut plerique, oleum, & operam circa sancta alioqui obedientiæ opera perdant, & prolixos obedientiæ labores sine merito subeant. Vt obedientia vestra, inquit HVMBERTVS *lib. de erud. Religiosor.* omnipotenti Deo sit acceptabilis, studeat quisq; habere promptā sine elatione, deuotam, sine dedignatione, voluntariam sine contradictione, simplicem sine discussione, ordinatam sine deuiatione, iucundam sine turbatione, strenuam sine pusillanimitate, vniuersam sine exceptione, perseuerantem sine cessatione.

15. Prolabuntur in multa peccata, vt minimum venialia, qui imperfectos, hoc est, conditionibus memoratis exutos, exercent obedientiæ actus, ac proinde lenti sunt, & tardi in perfectionis itinere, vt docet SERVATIVS *in suo Catechismo Tom. 2 lect.* 131. Peccata enim sunt veluti calcei plumbei, quibus pedisequus retardatur in itinere; sunt veluti catenæ, quibus pedes, ne celeriter conficiant iter, implicantur; sunt veluti sarcinæ, quibus itinerantes grauantur, & onerantur, & si, vt ait D. BERNARDVS non prosternantur.

Et hos tot compedibus irretitos, sequitur idem SERVATIVS, tot sarcinis onustos, tot ponderibus incuruatos; tot nubium interstitijs à calore veri Solis remotos; tot lepræ maculis, ac fæ-

toribus inuisos, tot plagarum languoribus imbecilles factos, expedite perfectioni iter currere, ad eam alacriter, & fortiter, etiam sine duce, quem contristant, immo quem à se suo fætore, tepiditate, & languore arcent, tendere credamus? Hoc perpendant Religiosi assidue, & sibi certo certius persuadeant, quod qui Superiorũ consilijs minime stant, numquam progressum magnum in Religione facient, cum omnis ipsorum progressus ex propriæ voluntatis, iudicijque abnegatione pen-
17. deat. Cum boues, inquit B. MINORITA AEGIDIVS, sub iugo trahunt aratrum, horrea frumentis implent; cum autem iugo soluti vagantur per campum magni quidem sibi videntur, sed in horrea nihil important.

18. Sed notandum est cum eodem SERVATIO *lect.* 132. quod etsi Religiosus vi professionis teneatur ad obedientiam, non tamen sic, vt quotiescumque transgreditur Regulam, peccet mortaliter, si aliunde peccatum non sit, videlicet subiecta materia; sed tantum quotiescumque contemnit Regulam, vel transgressionem sequitur scandalum, vel datur præceptum strictum in re graui ex se, vel ex adiunctis circumstantiis. Neque enim dere totaliter leui solet Regula præceptum strictum edere, sed tantum consulere, vel ordinare. In re autem totaliter leui præcipere stricte, hoc est, in virtute sanctæ obedientiæ, vel simili modo, Prælatus nec debet, nec potest; abuiturque sua potestate, quam accepit in ædificationem, non in destructionem, si sic præcipit.

20. Quod autem postea spectat ad libertatem Christianam, quam prædicauerunt Apostoli, dicendum, eam esse exemptionem, qua Christus nos exemit, non à seruitute herili, non ab obedientia Decalogi, Legum, Principum, Prælatorum, Superiorum, non ab operibus pœnitentiæ, & satisfactionis, non ab obligatione votorum, vt volunt hæretici, quos damnat CONC. TRID. *Sess.* 9. *Can.* 19. 20. 21. Hæc enim irrationalis, animalis, carnalis, turpis, & contra omne naturæ ius, & contra omnem rectam rationem est libertas; sed à seruitute tum legis veteris, tum peccati, diaboli, & vitiorum, tum concupiscentiæ, miseriæ, & mortis in cælo.

21. Quod autem PAVLVS 2. *Corin.* 3. dicat, *Vbi autem spiritus*

Domini,

21. Quod autem PAVLVS 2 *Cor.* 3. dicat, *Vbi autem ſpiritus Domini, ibi libertas*; non ideo aſſerendum eſt, libertatem hic opponi obligationi legis humanæ, vel diuinæ, vt volunt hæretici; ſed tum velo Moſis, id eſt obſcuritati, & craſſitiei legis veteris, tum litteræ, id eſt legis ſeruili coactioni, timori, & torpori, de qua ideo Apoſtolus antea dixerat, *Idoneos nos fecit miniſtros noui teſtamenti, non littera, ſed ſpiritu*; ac conſequenter (vt ſcribit hic CORNELIVS A LAPIDE,) duplex eſt hæc libertas.

22. Prima, *vt* CHRYS. eſt intellectus, eſtque clara notitia myſterij Trinitatis, Incarnationis &c. quæ Iudæis obſcura erant; item veræ religionis, & diuini cultus, quem Iudæi putabant conſiſtere in mactatione boum, & arietum, cum Deus coli velit, & adorari in ſpiritu, & veritate, IOAN. 4. Vbi aduerte cum eodem CORNELIO, ſicut craſsities, hebetudo, obſcuratio, ignorantia intellectus, qua mens, quaſi tenebris, vinculis, & carcere conſtricta tenetur, recte dicitur ſeruitus, & ſeruilis conditio, ita è contra illuminatio, claritas, & clara intellectus cognitio recte dicitur libertas; quia mens ignorantia, erroribus, craſſiſque rerum ſpeciebus libera, libere veritati, Deo,

23. rebuſque diuinis, & ſpiritualibus vacat, & intendit. Vnde Ariſtoteles, Plutarchus, Seneca, & alij dixerunt, ſolos ſapientes eſſe liberos.

Secunda libertas, vt docet *S. AVGVSTIN.* citatus ab eodẽ *CORNELIO*, eſt affectus, eſtque amor iuſtitiæ, non timor vindictæ, vt ſc. ſponte, & libere legem impleamus ex amore virtutis, non ex formidine pænæ. Hæc enim libertas, & ſpiritus amoris Chriſtianorum opponitur ſeruituti, & timori ſeruili Iudæorum. Patet ex antecedentibus, & ſequentibus in hoc 3. *cap.* *APOSTOLI*

24. *citato.* Tam ergo impie, quã imperite, et inſulſe ante 300. annos Begardi, et iam Suencfeldiani, et Libertini hinc reſpuunt verbum Dei ſcriptum, quaſi litteram occidentem, ſoloque ſpiritu interno dictante nos regi volunt. Secundo, hominem ſanctum, et perfectum liberum eſse à lege, nec peccare etiam fornicando. Tertio, hinc male alij paſſim abolent leges humanas. Dicamus igitur Paulum vbicumque loquitur de libertate legis gratiæ, non opponere illam obedientiæ Prælatorum, aut Principum; alioqui ſibi eſſet contrarius in alijs locis, vt patet, ſed intendit excludere ſeruitutes ſupra memoratas.

25. Apostolvs *ipse* namque *Rom.* 13. ait, *omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit; Non est enim potestas nisi à Deo; quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt.* Non eo videlicet modo, vt notat David *à Mavdem in suis Discursib. Moralibus, Discurs.* 12. *in 4. præc.* quò condita & ordinata sunt natura, & ordines rerum naturalium, v.g. appetitus & societates leonũ, luporũ, vrsorũ, cum quibus hominibus sæpe bellandum est; sed eo modo, quo leges, & sanctiones ordinatæ sunt, quibus resistere non licet. Aut eo modo, quo dux ordinat suos milites. Hic enim non simplicem eis ordinem ponit, sed cuique suum locum, & munus iniungit, in quo firmus ad mortem vsque consistere debet, à quo nemo, nisi hostis eum depellere valeat. Ideo addit *Paulus*, ita qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt, idest peccatum mortale committunt, vt interpretatur *ipse Maudem*. Vnde concludit Apostolus, ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiã propter consciẽtiam, quod idem est, ac si dicat, sequitur *idem Maudem*, Ideo necesse est vos subdi potestati, non solum propter iram, vindictam, & gladium, quem gerit, & minatur, sed etiam propter tuam conscientiam, non aliorum, quos scandalo offendis, sed propter tuã cõsciẽtiam, ne scilicet fiat rea inobedientiæ coram Deo. Grauia sunt hæc verba Apostoli, quibus declarabat leges ciuiles etiam Gentilium impiorum, & infidelium Principum (quales tunc erant Imperatores Romani) secluso scandalo, obligare Christianos in conscientia sub peccato mortali, quando rem grauem eis præcipiebat.

26 Varijs igitur argumentis probat Paulus, parendum esse Principibus etiam infidelibus. Primo, quia Deus illos ordinauit. 2. quia eius ministri. 3. quia gladium portant, vt inobedientes plectant. 4. quia ex conscientia est obligatio, adeo vt, qui resistit potestati, Dei ordinationi resistat, & resistens sibi damnationem acquirat, & pluribus alijs. Quod singulariter Apostolus tũc iudicauit necessarium, quia illo tempore rumor, & opinio apud Gentes inualuerat, per Euangelium politias humanas, Regna, & Respublicas sęculares euerti, atque Christianos suæ Religionis prætextu à Principum, & maiorum obedientia se subtrahe-

27. re. Eamque fuisse vnam ex præcipuis causis, propter quam Gentes persecutæ sunt Christianos, docet *Clem. Alex. lib.* 4. *strom.*

strom.affirmans, Christianos persecutionem tūc passos esse, quia per Euāgeliū Reipublicę ciuili iniuria fieri videbatur. Et quia hæc nota etiam ipsis Apostolis inurebatur, hinc suis Epistolis
28. Petrus, & Paulus tam disertis verbis studuerunt illum errorem ab hominum mentib. euellere, ad obedientiam, & subiectionē, & ciuilis Reipublicæ ordinationem conseruandam Christianos exhortantes, eisque pręceptum Dei declarantes, quod sonant illa verba 1. *Pet. 2. quia sic est voluntas Dei, vt benefacientes obmutescere faciatis, imprudentium hominum ignorantiam quasi liberi, & non quasi velamen habentes malitiæ libertatem, sed sicut serui Dei*; id est, vt libertatem, quam per Christum assecuti estis non accipiatis in fomentum malitiæ, dicentes vos liberos esse debere à legibus ciuilibus.

29. Politice hic discere possumus, signum, & effectum veræ fidei esse humilitatem, subiectionem, obedientiam subditorum ergà magistratus, infidelitatis vero, & hæresis effectum esse superbiam, inobedientiam, rebellionem, vti vidimus, & videmus factitari à Lutheranis, & magis à Caluinistis. Hęreticorum enim axioma immo primum principium est, suam sectam, & hæresim omnib. modis, & artibus, ac præsertim armis tuendam, & propagandam esse, ac consequenter Principi orthodoxo si obsistat, omnib. viribus obsistendum. Ex aduerso Catholici per primos trecentos annos obediuerunt Imperatorib. ethnicis, etiam persecutorib. in omnibus, excepta fide, & religione, nec quisquam necem, aut rebellionem contra eos machinatus est fidei prætextu, etiam si sæpè facile id facere potuissent, si voluissét. Sane potuisset tota legio Thebæorū fortissima duce S. Mauritio Maximiano resistere armisq; fidē, & vitā tueri, aut certè nō inulta occūbere, sed noluit, totaq; positis armis, genibus nixa fidei causa obtruncari se permisit. Pluribus idipsum demōstrat THOMAS BOZIVS *in signis*
30. *Ecclesiæ, signo 53. & 90*. Id etiā nunc experiuntur, et sentiūt multi Principes Ethnici apud Indos, Iapones, et Sinas, qui christianos, et christianam religionem amant, et fouent, quod videant christianos magis sibi obedire, quam ethnicos.

31. Non me latet multos hæreticos docuisse, non esse in Ecclesia auctoritatem ad condendas leges Ecclesiasticas; VVALDENSES APVD ANTONINVM 4. *p. sum. Theol. tit. 11. cap. 7. §. 2. Marsilius de Padua, in lib. cui titulus est, Defensor pacis*; contra quem di-

sputat *ALBERTVS PYGHIVS lib. 5. Hierarch. Eccles.* Idem docuit *VVICLEPH*, vt patet IN *CONC. CONST. sess.* 8. *art.* 38. in quo dixit, Decretales Epistolas esse apocryphas, illosque stultos esse, qui illis student. Ipsum sequutus est *IOAN. HVSS*, vt patet *in eodem Conc. sess.* 15. *art.* 15. In quo dicebat, obedientiam Ecclesiasticam esse solum inuentionem Sacerdotum Ecclesiæ. Idem docuere moderni hæresiarchæ, *vt Caluinus, Melancton*, vt videre licet apud *BELLARMINVM lib.* 4. *de Pont. cap.* 15. *LORINVS Act.* 15. *ex COCHLEO, in vita Lutheri*, refert, Lutherum hac de causa totum corpus iuris canonici publice combussisse.

32. Sed veritas est catholica, in Ecclesia esse potestatem condendi veras leges obligantes in conscientia, *BELLARM. sup. cap.* 16. *& seq. VASQVEZ, AZORIVS, VALENTIA, CASTRO, & alij DD. citati à*

33. *SALAS, in suo de legibus Tract.* 14. *quæst.* 95. *Disput.* 8. *sect.* 1. Patet *Deuter.* 17. Vbi in Sacerdote ponitur potestas obligandi per præcepta sua. Si ergo in lege veteri erat hæc potestas, multo magis dicendum est, eam in noua lege reperiri. Probatur hæc assertio *Ioan.* 20. *sicut misit me Pater, ego mitto vos.* id est cum eadem potestate, vt interpretatur *MALDONATVS* ex *HVBERTO*, & *HELIA CRETENSI*; vel ad idem opus, & ministerium, vt ibi interpretantur *CHRYSOSTOMVS, & THEOPHILATVS*; sed Christus fuit legislator, & eius opus leges ferre, *Psalm.* 2. *Dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ; reges eos in virga ferrea, &c.* ISAIAS 3. *Ipse est Rex noster, ipse legifer noster.* TRIDENTINVM, *sess.* 6. *can.* 21. *si quis dixerit, Christum Iesum à Deo hominibus datum fuisse, vt Redemptorem, cui fidant, non etiam vt legislatorem, cui obediant, anathema sit.*

34. Hanc potestatem immediate à Christo datam fuisse Petro esse de fide patet ex *MATTH.* 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claues regni cælorum, & quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis, &c.* quem locum late, & mirifice ponderat *BELLARMINVS* 1. *de Pont. cap.* 10. *& seq.* Idem patet ex *IOAN.* 21. *Pasce oues meas.* De quo loco agit optime *idem BELLARMINVS, ibidem, cap.* 14. *& seq.* Vbi verbum græcum, quo vtitur Ioannes, regere etiam significat, quia regulis, & præceptis more Regum debebat Petrus pascere oues Christi vice eiusdem. Vnde *Maldonatus ibi ait*, pascere, idiomate Hebræorum esse regere, vt pa-

tet

tet *Psal.22. Dominus regit me, &c.* Hebraice, *Dominus pascit me, &c.*

35. Secunda conclusio, hæc potestas alijs Apostolis data est immediate à Christo; minus tamen perfecte, quam Petro; & nomine Apostolorum certum est in hac parte comprehendendum esse Paulum; & aliqui idem probabile putant de Barnaba; de quo vide *gloss.cap.in nouo, dist.21.* Quod autem attinet ad septuaginta discipulos, quidam cum BELLARM. 1.*de Clericis, cap.* 14. merito dicunt, Christum non contulisse illis hanc potestatem; non enim est vnde id colligi possit; siquidem solis Apostolis dixit Christus *IOAN.20. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Quod vero attinet ad Episcopos, idem BELLARM. 4. *de Pont. cap.24.* probat, non habere immediate eos iurisdictionem à Christo, sed à Romano Pontifice. Suadetur hæc opinio ab ipso Bellarmino exemplo Mosis, cuius spiritus communicatus est alijs septuaginta Senioribus, vt cum illo populum gubernarent, vt explicat *August. quæst.18. in Num.* Quod significabat à summo Pontifice deriuari omnem potestatem, seu iurisdictionem Episcoporum. Nam Moyses erat summus Sacerdos, & Pontifex.

38. Episcopi tamen possunt leges condere sine facultate Papæ, nam quælibet Ciuitas potest sibi statuta præscribere sine voluntate Principis, cui subiecta est, modo statuta non sint contra Principem, vel bonos mores; nec disponant, quæ sunt reseruata Principi, in signum supremæ potestatis ipsius; vt docent communiter *Canonistæ C.quod Clericis, de foro Compet.* Ergo similiter Ecclesiæ, & ipsarum Capita Episcopi poterunt leges sibi condere, modo non sint reseruatæ Pontifici, nec sint contra Principem, vel bonos mores. Facit illud commune proloquium,

39. *Quidquid potest Papa in tota Ecclesia, potest Episcopus in sua Diœcesi, nisi à Papa impediatur.* Potest etiam Episcopus sine consensu Cleri, aut populi, & sine consensu Synodi facere Constitutiones; immo Constitutiones, quas in Synodo facit, non habere vim ex suffragio Synodi, sed ex sola eius voluntate; & congregatos in Synodo non habere suffragium decisiuum, sed consultiuum, probat SALAS *supra quæstione 97. disputatione*

40. *20.sectione 4. q. 4.* qui etiam *quæstione sequenti* dicit, secus

acci-

accidere in Synodo Prouinciali.

41. Generales Religionũ, quæ à Summo Pontifice approbatæ sunt, potestatem habent ordinariam Constitutiones, seu leges condendi in Congregatione Generali, maiore suffragiorum parte conueniente. Idem communiter possunt Prouinciales in Capitulis Prouincialibus. Constat ex vsu, & consuetudine Religionum, & ex Priuilegijs, quæ Pontifices illis concesserunt.

42. Intelligitur hæc facultas, vt notat SALAS *Disput.8. Sect.12.* de legibus, & Constitutionibus iuri communi consentaneis, aut non aduersis; non enim possunt Constitutiones facere contrarias iuri communi sine expressa facultate Papæ, vt etiam optime docet NAVARR. *Consil. tit. de elect. & lib.3. titul. de Regular. cons.26.num.8.*

43. An vero id possint extra capitula, dicunt aliqui ex Constitutionibus, consuetudinibus, & priuilegiis cuiusque Religionis iudicandum esse, ex quibus intelligetur voluntas Pontificis, qui hanc potestatem confert, sicut & Religiones confirmat, & approbat, cum tamen antea ex Episcopi auctoritate intra propriã Diœcesim confirmarentur. SVAREZ *Tom. 4. de Religione libro secundo, capite octauo, numero decimonono*; dicit, nullam esse Religionem (quantum assequi potest) in quã solus Generalis talem habeat potestatem; ad minus enim requirit concursum aliquorum Definitorum, seu Consiliariorum, quocumque nomine vocentur, qui in lege facienda, non solum votum consultiuum, sed etiam decisiuum habeant. Et tunc illud tribunal in eo actu habet supremas vices totius Religionis, ideoque est supra ipsum Generalem, potestque illum lege obligare.

44. Vnde constat, Prælatum supremum Religionis obligari præceptis, aut statutis latis ab ipso in Capitulo Generali, quia Capitulum est supra ipsum Generalem, & ideo suis legibus æque obligat Generalem ipsum, ac ceteras singulas personas, quæ sunt de Capitulo. Vnde fit, vt non solum obligent quoad vim directiuam, sed etiam quoad coactiuam; quia sunt leges Superioris, & ideo in eis non habet locum illud principium, quod *Princeps obligatur sua lege quoad vim directiuam, & non quoad coactiuam.* Et hinc merito, vt testatur SVAREZ *supra n.18.* in Reli-

46. Religionibus, in quibus Generales temporales sunt, solent finito tempore puniri, si constitutiones transgressi sunt, quia de se fuerunt rei facti pœnæ, quamuis pro eo tempore, pro quo erant Generales, non potuerint puniri ex defectu superioris intra suam Religionem, nam à Papa possent iuste puniri, si de huiusmodi delictis cognosceret. Immo etiam durãte Generalatu, vel vbi perpetuum est, si Generale capitulum congregetur, poterit de similibus transgressionibus cognoscere, & eas punire, quia vt dictum est, iurisdictione superior est.

Mente reuoluant sępius superiores, qui etiam extra capitula habent auctoritatem condendi leges, beatam illam, & salutarem Principibus ad Iustinianum Imperatorem vocem, & orationem, *Non est Princeps supra leges, sed leges supra Principem; optimique Principis nota illa, ex legum bonarum præscripto velle viuere*. Quas si negligat, & aspernetur, caueat ne à suis iusto Dei iudicio contemnatur, imperandique sibi cursus abbreuietur. Sic enim Domitianum ausus est affari apud PHILOSTRATVM *lib. 8. de vita Apollon.* ipse Apollonius Tyanęus, quamuis execrabilis, magicæque doctrinæ fæditate turpissimus. *Hæc mihi dicta sint de legibus, quas si tibi imperare non putaueris, ipse non imperabis*. Quod suo tempore PLATO *Dialog. 3. de legibus*, his verbis innuere videbatur. Probabile est Regum maxime hunc morbum esse, qui superbe propter delicias viuunt, quod plusquam leges concederent, posse voluerunt, nec in eo concorditer permanserunt, quod verbis, & iureiurando laudauerunt, vnde seditiones ortæ sunt. Propterea tyrannus nefandissimus, diuinarum humanarumq; legum contemptor, & osor Phalaris diris, ac iuste subiugãdus est execrationi, qui Cleæneti, & Theano scribens, *Epist. 62.* aiebat, *Neque alia de causa est nomen meum graue, quam quod non obtempero legibus, ego enim sum lex subditis*.

Sciant etiã Superiores, quod ipsorũ vita lex subditorum est. Superiorum.n. facta, siue probra illa sint, siue improba, subditorum quędam lex esse videtur, adeo vt maiorum exemplis minores quodammodo illigentur, vt doctissimè animaduertit P. NOVARI-
47. NVS *in suis Electis sacris verè admirandis lib. 1. num. 79.* De quo Patre tãtum dicam, quod de Patre meo D. Hieronymo dicebat S. Augustinus, fore scilicet, vt cito eius eloquium ab Oriente vsque in Occidentem, ad instar lampadis resplendeat, Faxit

Deus

Deus, vt etiam ad instar D. Hieronymi vsque ad decrepitam viuat ætatem, vt hoc pacto vita, & scriptis vna cum eodem Sancto Doctore Dei Ecclesiam adiuuare possit. Vtinam mihi eius suauissima iucundissimaque consuetudine frui semper liceret; vt aliquando licet; sic enim collatione mutua discerem multa; nihil docerem; nulla namque res est, quam ipse ab aliquo doceri queat; cum cunctarum bonarum artium cumulum non perfunctoriè, sed ad summum in se vsque ad miraculum ad huc iunior
48. collegerit. Hic etiam *lib. 3. num. 618.* pulcherrima sigilli metaphora ostendit, virtutum characteres in alijs exprimere non posse Præsulem, quos impressos in se non habet. Sigillum namque nisi sculptas notas habeat, imprimere in cera nequit, sic nec Præsul, si virtutum characteribus destituatur, insculpere in suis poterit, quibus adprimitur, tanquam sigillum obsequenti ceræ. Opportunè huc aduocat ipse Nouarinus B. Laurentij Iustiniani verba, *Tract. de compunctione, & complanctu Christianæ perfectionis;* sic autem ille habet; *quomodo, oro, subditis, prout debet, poterunt suadere, vt pauperibus impertiantur eleemosynam, si ipsi immisericordes extiterint? quemadmodum Dominus Iesus cæpit facere, & docere, ita & Pontifices, ac Prælati. Argue, ait Apostolus, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina. Numquam valebunt qui præsident, subditos hortari ad humilitatem, si fuerint elati; nec ad patientiam, vel mansuetudinem, si iracundiæ reperti sunt serui, neque ad proximi dilectionem, si inhumani erunt.* Vbi vides, ait Nouarinus, virtutum notas præesse in Pastoribus debere, vt in ouibus imprimantur.
49. Concludendum igitur est, necessariam esse in Superiore, ad retinendam in alijs disciplinam, obseruationem regularum earumdem, quas à suis cupit obseruari. Monentur hoc Superiores Societatis Iesu, vt scribit NIGRONVS *in Reg. communib. eiusdem Societ. Tit. 2. num. 27.* Communes regulas ipse seruet, & particularia in cibo, indumentis, & aliarum rerum vsu, quantum fieri potest, vitet. Ratio necessitatis huius est exempli vis, ac potestas,
50. quæ in Superiore multo maxime apparet in vtramque partem, hoc est ad subditos bonos malosque faciendos. Cognita est hæc exempli potestas à Philosophis. Hinc illa sunt M. TVLII *lib. 1. epist. 9. ad famil. Quales in Repub. Principes sunt, tales reliquos solere esse ciues. Plin. ad Traianum in Paneg. Vita Principis censura est, eaque perpetua; ad hanc dirigimur, ad hanc conuertimur.* De bono

VELLEIVS

VELLEIVS *libro secundo hist. Rectè facere Princeps ciues suos, faciendo docet*. De malo, M. TVLLIVS *lib. 3. de Legibus, Vitia non solum ipsi Principes concipiunt, sed etiam in ciuitatem infundunt, plusque exemplo, quam peccato nocent*. Quæ de Principe dicunt Philosophi, superioribus Religiosorum accommodãda, cum sit eadem plane in diuersa professione vitæque genere ratio. GREG. NAZ. *Apol. 1. numero 22. Neque*, inquit, *vel indelebilem tincturam pannus, vel fœtidum, aut suauem odorem res admota ita facilè contrahunt; vel exitialis quidam vapor tam facile in aërem diffunditur, ac per aerem animantia occupat, (quod quidem pestis est. & appellatur) quam subditi Antistitis improbitate celerrimè impleri solent: & quidem multo faciliùs, quam virtute*.

51. Huius potestatis causæ plures. Prima est à Superioribus, quorũ facta tacitæ leges, ac præcepta existimantur. QVINCTILIANO *Declamat. 4.* id visum. *Hæc*, inquit, *conditio Principum, vt quidquid faciant, præcipere videantur*. Immo suauiora sunt hæc tacita præcepta, quam ipsa verborum imperia. Secunda causa, cur tantum possit exemplum Superioris, affertur à S. ISIDORO PELVSIOTA, *lib. 2. epist. 209.* Naturalis propensio subditorum ad imitandum superiorem. *Ita*, inquit, *natura comparatum est, vt ad eius, qui præest similitudinem, ij qui parent, sese effingant*. Ante S. ISID. id CORN. TAC. *lib. 3. ann.* significauerat, cum dixit, *Obsequium in Principem, & æmulandi amorem validiora esse, quam pœnam ex legibus*. Tertia causa item in subditis; si bonum præbet superior exemplum in eo, quod iubet, possibile putatur, quod iubetur; si malum, existimatur impossibile præceptum. Priorem partem PLINIVS innuit *in laudatione Traiani. Melius homines exemplis docentur; quæ in primis hoc in se boni habent, quod approbant, quæ præcipiunt, fieri posse*. Quem locum S. BERNARDVS *serm. de sancto Benedicto*, respexisse videtur, cum de operis exemplo loquens, *Plurimũ*, inquit, *faciens suasibile, quod auditur, dum monstrat factibile, quod suadetur*. Posteriorem habes à S. CHRYSOSTOMO *Hom. 12. in c. 13. Philip.* tractante hoc ipsum argumentum, sub nomine discipuli, & doctoris. *Si quando viderit verbis duntaxat philosophantem* (doctorem discipulus) *dicet etiam impossibilia præcipere. Quod autem impossibilia præcipiat, cum hoc ostendere*

primum, qui ea non faciat. Si vero viderit per opera perfectam virtutem, iam non poterit ista dicere. Quarta causa est pudor, in ingenuis potissimum subditis. Innuitur ab Theodorico Rege apud CASSIODORVM *l.1.var.epist.4.* laudãte Senatui Romano Cassiodorum ipsum. *Vixit tanta continentia, vt æquitatẽ & instrueret monitis, & doceret exemplis. Facilis enim recti persuasor est innocens iudex; sub cuius prædicabili conuersatione pudet mores probabiles non habere.* Contra vere licere sibi eadem impune arbitrantur; ac sine pudore metuve peccant, qui viderint superiorem leges communes omnes, ac iura violantem. Item Rex: *Quis enim vereatur scelus, cuius in suggestu gremij complicem videt? In cassum personam fictæ sinceritatis inducit, cum auarus pecuniæ ambitũ dissuadet.* Et post alia concludit, *excessus tunc sunt in formidine, cum creduntur iudicibus displicere.*

Sed iam videamus, quomodo, & quantum Prælatus Religionis possit obligare subditos in conscientia; pro quo supponendũ est,
52. esse in Prælatis vltra potestatem iurisdictionis, potestatem etiã gubernatiuam Monasterij, & suo modo dominatiuam singulorum Religiosorum. Hæc distincta est à potestate iurisdictionis, & ab ea separabilis. Hæc assertio videtur clara ex traditione, quam professio religiosa includit, quamque omnes admittunt; quia per illam traditionem aliquod ius transfertur in religionẽ; ergo illud ius distinctum est à iurisdictione, quã Christus dedit, vel eius Vicarij conferre possunt. Vsus autem illius iuris est gubernatio personæ religiosi; seu applicatio illius ad hæc, vel illa opera, cum efficacia moraliter requisita ad bonum religionis, & religiosi. Ergo illud ius est quædam potestas gubernatiua religiosi distincta à propria iurisdictione. Patet etiã id ex hoc, quod status religionis est status distinctus à statu subiectionis, quem ex vi ecclesiasticæ iurisdictionis omnes habẽt fideles. Ergo illi seruituti respondet potestas peculiaris dominatiua à propria iurisdictione distincta, immo & separabilis ab illa, vt scribit SVAREZ *Tom.3.de Relig.lib.2.cap.18.n.8. & seq.* Vbi probat, hanc potestatem dominatiuam, & domesticam,
53. seu œconomicam sine alia propria spirituali iurisdictione, quæ sit in Abbate, Priore, vel alio simili Prælato proprio, & immediato religiosi conuentus, sufficientem esse ad verum statum religiosum constituendum.

Asser-

54. Assertionem hanc probat ipse sufficienter argumento sumpto ex Monasterijs Monacharum; in eis enim Abbatissa non habet iurisdictionem spiritualem, (vt est communis sententia, & doctrina) & multo minus habet ciuilem, & temporalem, vt est per se notum, quia à nullo Principe sæcularium illam acceperunt; & nihilominus Moniales illi subijciuntur, vt matri, tenẽturque illi parere secundum Regulam, quam sunt professæ. Et hæc potestas ex parte Abbatissæ, & subiectio ex parte aliarum sufficit ad veram religionem in tali statu constituendam. Ergo propria iurisdictio extrinseca (vt ita dicam) existens intra Cõgregationem religiosam in proprio eius Prælato, ad substantiã Religionis non pertinet. Idem argumentum sumi potest ex antiquis Monasterijs Monachorum; quia communiter tunc Monachi, etiam Abbates non erant clerici, vt etiam de Sancto Benedicto affirmat BONAVENTVRA *in exposit. suæ Reg.* & cõsequenter nullam iurisdictionem poterant habere.

56. Hæc potestas dominatiua, & quasi paterna oritur, quasi ab intrinseco ab obedientia, & traditione spirituali, quam religiosa
57. professio includit. Propria autem iurisdictio non ita est ab intrinseca ratione status, quamuis semper sit coniuncta cũ priori potestate in aliquo Superiori Prælato intrinseco, vt sic dicam, vel extrinseco Religionis, & ideo specialis subiectio ad talem iurisdictionem, in quocumque profitente religiosum statum
58. necessario inueniatur. Titulus huius potestatis est votum obedientiæ, quia subditum obligari hoc voto, & superiorem posse ex illo obligare, comparantur sicut actio, & passio; non enim potest subiectum pati, nisi potestas sit in agente; ita ergo non posset subditos obligare, nisi esset potestas in Prælato ad obligandum. Clarum autem est, religiosum obligari ex voto ad parendum, ergo & superior potest illum obligare; obligatio autem ex voto est in conscientia, ergo Prælatus potest in conscientia obligare.

Contendere autem quis posset, tunc non obligare Prælatum, sed votum ipsum; Prælatum autem solum veluti explere conditionem, sine qua votum non obligaret. Sed hoc solum est de verbis contendere; fatetur namque Suarez, illam obligationem hoc titulo consideratam prouenire ex voto, tamen quia votum ipsum non obligat ad talem actum, nisi medio imperio Supe-

rioris, ideo merito dicitur Superior habere potestatẽ ita præcipiendi, vt alter in conscientia parere teneatur, siue Prælatus proprie obligationem imponat, siue exhibeat materiam, cui veluti inhæret obligatio ex voto.

59. Potestas vero iurisdictionis pendet ex duobus principijs. Vnum est de iure, scilicet Ecclesiasticam iurisdictionem esse sufficientem ad obligandum in conscientia per leges, & præcepta. Et hoc est de fide certum, vti vidimus. Aliud principium est de facto, scilicet Prælatis Religionum communicatam esse iurisdictionem Ecclesiasticam, ad hunc actum sufficientem; hoc autem constat ex vsu Ecclesiæ, & ex Indultis, & Priuilegijs singularum Religionum.

60. Papa potest præcipere Religiosis, vt ceteri illorum Prælati, ex vi iurisdictionis, *vt ex D. THOM. CAIET. & alijs concludit* SVAREZ *Tom.* 3. *de Relig. lib.* 10. *cap.* 11. *nu.* 11. Pontifex enim non minus est ordinarius *Prælatus*, quam sit Generalis, & est principalior.

61. An vero præter potestatem iurisdictionis habeat *Pontifex* potestatem dominatiuam, ortam ex voto obedientiæ religiosæ, SOTVS *lib.* 7. *de iust. q.* 3. *art.* 1. affirmat, dicens, *Pontificẽ* esse peculiarem *Prælatum* Religiosorum. Est enim, inquit, sicut Generalis Magister, & sicut *Prouincialis*, & sicut *Prior*. Vnde infert RODERIC. *Tom.* 1. *quæst. Reg. q.* 22. *art* 6. certo esse credendum, omnes Religiosos ex æquo teneri summo *Pontifici* obedire in suis obseruantijs regularibus, ac si se ei speciali voto obedientiæ consecrassent. Et SVAREZ etiam *supra nu.* 13. tandem veram esse existimat prædictam sententiam.

62. De voto autem obedientiæ ad summum *Pontificem*, quod professi Societatis Iesu specialiter emittunt, dicendum ipsum obligare ad aliquid amplius, quam votum obedientiæ, quod in alijs Religionibus emittitur; & ex hoc patet, Societatem à monachalibus puris per hoc votum distingui, vt probat SVAREZ *Tom.* 4. *de Relig. lib.* 6. *cap.* 4. *n.* 21. Non enim Religiosus monachalis tenetur ex vi sui voti obedientiæ, esse paratus ire in Indiam, vel ad Turcas, quoties iussus à *Pontifice* fuerit; nam quoad hoc non magis tenetur illi obedire, quã sæcularis quispiam, quia illud non pertinet ad professionem suam.

His igitur iactis fundamentis, dico absolute, *Prælatos* Religionum

63. supradicta potestate dominatiua posse suis præceptis obligare

suos

ſuos religioſos in conſcientia. Et licet tales Prælati ſine vniuerſali conuentu, vt ſupradictum eſt, nequeant præcepta cōdere in conſcientia obligantia, tamen id non ſequitur, quando ipſi Prælati id faciunt per poteſtatem dominatiuam, & paternam, quam ex vi voti obedientiæ in ſuos ſubditos habent.

64. *I*mmo poſſent etiam ex vi poteſtatis iuriſdictionis præcepta particularibus perſonis imponere, niſi valde grauia, onerosa, aut extraordinaria ſint, magis eſt enim iuri communi, vſui, & rationi conſentaneum, ſolam in hoc auctoritatem, voluntatē, & iudicium Prælati ſufficere abſque alio conſilio, tum quia huiuſmodi præcepta ordinaria, & facilia ſunt; tum etiā, quia eſſet valde oneroſum pro ſingulis actibus, ſeu perſonis Concilium congregare. Sic SVAREZ *ſupra lib.* 2. *cap.* 8. *n.* 6.

Nec dicant Religioſi ſubditi, quod conſuetudine introductū eſt in ſuis Religionibus, quod ſuperiores Prælati non poſſint etiam præcepta perſonalia imponere, quia ſatis patet, quod contra
65. obedientiam Prælatis debitam, vtpote quæ ex voto debita eſt, præſcribi non poteſt, vt clare colligitur *ex cap. ſicut, il* 2. *in fin. de regular.* & doceat *ibi gloſ. final. & Abb. n.* 3. *& in fin.* GREGOR. LOPEZ *l.* 23. *verb. aſſimiſmos, tit.* 14. *par.* 7. RODERIC. *quæſt. Reg. Tom.* 2. *q.* 74. *art.* 3. & cum his SANCHEZ *Tom.* 2. *oper. Mor. lib* 6. *cap.* 2. *n.* 30. Audiant Religioſi, quomodo obedientia à *Ioan.* 22. commendetur in quadam ſua Extrauaganti, cuius tenorem idem RODERIC. refert, *ſupra quæſt.* 76. *art.* 1. Cum eſſet enim in Religione Minorum orta controuerſia inter fratres ſuper qualitatem habitus, ad eam ſedandam edidit dictus *Ioan.* 22. extrauagantem, in qua inter alia ipſe Summus Pontifex dicit, religionem perimi, ſi à meritoria ſubditi obediētia religioſi ſubtrahantur; magna quidem paupertas, ſed maior integritas, horum maximum eſt obedientia, ſi cuſtodiatur illæſa. Nam prima rebus, ſecunda carni, tertia vero menti dominatur, & animis, quos velut effrænes, & liberos ditioni alterius humilis iugo propriæ voluntatis aſtringit.

Notandum hic eſt cum COVAR. 4. *decret.* 2. *p. n.* 18. *ex gloſ. auth. quomodo oporteat Epiſcop. collat.* 1. *initio, verb. ſancimus, & Clem. ne Romani, verb. tolli, de elect.* quod inferior iure canonico poteſt
67. addere ruinam prohibitioni, & legi Superioris, etſi contra legem Superioris is ſtatuere non poſſit; quam gloſ. dicit ſing.

FELIN.

FELIN. *in c. de sponsa. & c. 2. de probat.* Hinc probat ipse COVAR. sæculari Principi licere pænam adijcere contrahentibus matrimonia, quæ canones ipsi prohibent. Sic etiam ipse Princeps pænam decernit periurijs, vsuris, incestis nuptijs, quamuis iudicium horum delictorum pertineat etiam ad ecclesiasticum tribunal. Ex qua doctrina licet colligere Generalem Re-
68. ligionis posse addere pænas prohibitionibus, & legibus in generali Capitulo latis, & in Constitutionum corpore digestis, licet extra capitulum leges ei condere prohibeatur. Et id ei maxime licebat, si ita iudicauerit expedire ad plenam ipsarũ Constitutionum obseruantiam. Nam eius studium præcipue versari debet in hoc, vt quæ semel recte ordinata, & statuta sunt, inuiolabiliter obseruentur, atque executioni tradantur; exemplo Summorum Pontificum, quorum vsus ordinariæ potestatis nihil omnino aliud esse videtur, quam procurare, vt re, & opere seruentur, quæ semel Sacri Canones, aliorumque Pontificum decreta, & iuris Constitutiones determinarunt, & declararunt, vt *ex c. cum dilecti, de dolo, & contumacias & in c. cum nobis olim, in fi. de elect.* concludit *in suo Manuali Prælatorũ, quæst. 10. art. 2. conclus. 2.* MIRANDA.

Qui etiam *hoc eodem articulo conclusione* 1. scribit, prohibitum esse Generali Ministro in suo sacro Minorum Ordine, vt sine consensu Generalis, aut Prouincialis Capituli, per se ipsum statuta, aut constitutiones aliquas possit efficere, quæ vim legis habeant, aut in posterum ceteros obligare possint. Fatetur
69. tamen idem MIRANDA, Generalem Ministrum in toto ordine, & Prouincialem in sua Prouincia, siue districtu, si sibi opus visum fuerit, aliqua præcepta ponere, quę vim, & robur habebunt obligandi, pro tempore Prælati ipsa statuentis. Sed aduertendũ est, etiam supradicta pręcepta à Generali, siue Prouincialibus Ministris fieri non debere sine aliquorum Patrum
70. consilio. Sic & ipse Summus Pontifex semper, sed maxime in rebus arduis, & difficillimis, omnino nihil sine consilio operatur, ordinat, atque statuit; vt videre licet in Pontificijs Constitutionibus, in quibus fere semper sequentia reperiuntur verba, *De consilio nostrorum Fratrum Cardinalium, &c.* sic etiã & ipse Deus quidquid in rebus ordinario modo operatur, non nisi per causas secundas; atque cum ipsarum ministerio id ipsum

sum

ſum efficit, tanquam per inſtrumenta quædam, quibus quaſi adiuuari vult.

71. An vero Generalis teneatur ſequi conſilium ſibi datum, negandum abſolute, nam regulariter nemo poteſt obſtringi datum ſibi conſilium ſequi, licet debeat requiri, etiam in caſibus, in quibus ſi non requireretur, actus eſſet nullus, vt probat *ex multis tex. & Doct.* FRATER SIGISMVNDVS *de elect. & poteſt. Prælatorum Regularium dub.* III. *n.* I. quemadmodum etiam demonſtrat non eſſe idem iuris de conſenſu, nam conſenſum quis de-
72. bet ſequi, vbi neceſſario eſt requirendus, alias actus eſt nullus, & inanis. Hac de cauſa Superiores Societatis Ieſu non tenentur ſequi conſilium ſibi datum, licet adſtringantur requirere; ſed poſſunt, auditis in rebus alicuius momenti conſultoribus, decernere, quod ſibi ad maiorem Dei gloriam expedire videbitur. Et ideo non dicuntur Definitores, ſed Conſultores.

73. Sed quærendum eſt, an ſimiliter poſſit dari caſus, in quo liceat ſaltem ipſi Generali ſine conſilio aliorum Patrum aliquid præcipere ſuis ſubditis, & mihi videtur reſpondi poſſe affirmatiue, quando ſc. imminet neceſſitas, & periculum in mora, quia in huiuſmodi euentu non eſt requirendus conſenſus, quando haberi non poteſt, etiam ſi alias eſſet requirendus, vt ex BART.
74. & FEL. FR. SIGISMVND. aſſerit. Quod multo magis ſequitur, ſi Generalis nihil noui præcipiat, ſed tantum addat pænas tranſgreſſoribus conſtitutionum ſuæ Religionis: Vt e. g. videns conſtitutiones Religionis paſſim à ſubditis magno cum puſillorum ſcandalo peſſundari, & non poſſe pænis in conſtitutionibus fulminatis contra tranſgreſſores, ipſos ab inobſeruantia cohibere, addit inſuper alias grauiores, vt vel ſic ſuos in officio continere, & ad meliorem frugem ipſos reducere poſſit. Hoc enim non eſt condere legem, aut præceptum, vt per ſe patet; ſed ſolum adhibere remedia, vt conſtitutiones obſeruentur; quarum obſeruantiam ab omnibus ſubditis extorqueri etiam ex officio, & ex vi ipſarum in conſcientia tenetur.
75. Damnabilis enim eſt, & æternis ignibus vindicabitur quorūdam Superiorum ambitioſa ſegnities, qui mollibus verbis eneruant animos, vitijſque ſua ſponte creſcentibus ſpacia concedunt, dicentes, alia eſſe nunc tempora, diſſimulanda mul-

ta, quam nouis pænis, & censuris coarctandum.

Non me latet, Ecclesiam Catholicam Ecclesiasticas censuras non ad animarum interitum, sed ad medicinam adinuenisse, & exercere, & omnibus patere, excommunicationis gladium neruum esse ecclesiasticæ disciplinæ, ideo huiusmodi gladio non
76. nisi in grauissimis causis vtendum, sobrieque & magna circũspectione adhibita exercendum esse, cum experientia doceat, eum, si temere, aut leuibus ex causis, & rebus incutiatur, magis contemni, quam formidari, & pernitiem potius parere, quam salutem, CONC. TRID: *sess. 25. de reformat: cap. 3.*

Sed quis diceret, à Regularum Constitutionumque sui ordinis obseruatione prorsus recedere, esse rem leuem? Recedentes enim
77. à Regularum Constitutionumque obseruatione votorum suorum custodiam deserunt. Regulæ enim & Constitutiones vndique vota cingunt, & muniunt, & ponitur circa ea murus; cum Regularum praxis viget; & murum antemurale custodit, cum illi praxi constitutionum obseruatio adiungitur. Si autem ruit antemurale, murus pariter dissipatur, facileque vota iaculis inimicorum patent, & corruunt. Quod Sanctissimus Monachorum Patriarcha BERNARDVS paucis patefacit verbis, cũ Religiosos sic hortatur, *Solliciti estote circa custodiam Ordinis, vt Ordo vos custodiat.* Regulæ, & statuta ordinum non solum prosunt, sed etiam cogunt ad salutem; ò felix necessitas, quæ ad meliora compellit. Regulæ & statuta nos veluti vinculis ad virtutem pertrahunt, illique coniungunt; à vitijs separãt, & ne relabamur retinent. *Nos fragiles sumus*, inquit THOMAS KEMPIANVS *p. 1. serm. ad Nouit. ser. 3. & ad malum procliues, ideo necessarium est, nostros prauos mores per statuta arctari, & quasi indomitos pullos ad stipitem Sanctæ Crucis pro nomine Iesu ligari.*

Possunt igitur, immo aliquando tenentur Prælati Regularium excõmunicationis pænam constitutionum sui Ordinis transgresso-
78. ribus imponere. An vero præfati superiores possint excommunicationis sententiã proferre oretenus, absque eo quod incidant in pænam *c. 1. de sent. excommunicationis in 6.* Respondẽdum affirmatiue, & hoc siue eam ferant in foro pænitentiali, siue in foro contentioso, quia in foro pænitentiali non proceditur secundum formam, & figuram iudicij; & in foro contentioso non seruatur iuris ordo à Prælatis regularibus, sicut à sæ-
cularibus,

cularibus, *cap. qualiter, & quando 2. de accusat.* Ita in terminis sustinent LAP. *Alleg.* 73. *nu.* 4. & FELYN. *in cap. sacro, n.* 7. *de sentent. excom.* TOLET. *lib.* 1. *cap.* 1. *q.* 4. *n.* 8. & nouissime FR. SIGISMVND. *loc. cit. dub.* 122. *num.* 7. qui etiam *dub. seq.* tenet cum MEGAL. &

79. HOMOB. dictos Prelatos non posse sibi reseruare absolutionem excommunicationis à se fulminatæ. Ad rationem autem SVAR. & *aliorum*, qui contrariam sententiam tuentur, quæ est, quia Clem. 8. in decret. de Regularibus super casuum reseruatione, expresse loquitur de reseruatione culparum; *Nemo*, inquit text. *ex Regularium superioribus peccatorum absolutionem sibi reseruet, exceptis &c.* In casu autem proposito non reseruatur peccati absolutio, sed censuræ, quæ longe diuersa sunt, & ad diuersum forum, & iurisdictionem spectant; sic respondet ipse Sigismun-

80. dus, In quibuscumque dispositionibus attendendam esse potius disponentis voluntatem, quam verba, cum non intentio verbis, sed verba intentioni deseruire debeant, *c. in his, de verb. signif.* Sed ratio expressa in dicto Decreto Clem. 8. ob quam ad illud condendum Pontifex motus fuit; ea extitit, ne subditi interdum superiori suo conscientiæ maculas detegere formidantes, in æternę damnationis periculum, & spiritualis remedij desperationem inducantur, vt ex initio Decreti satis constat; & eadem ratio militat in eo casu, in quo excommunicatio reseruatur. Ergo Pontificis mens fuit prohibere quoque reseruationem excommunicationis. Vtraque opinio mihi videtur probabilitate non carere, sed in praxi consulẽda negatiua, & amplectenda.

Monebo tandem, quod sicut apis sine aculeo, vt cum NOVARINO *loc. citato lib.* 1. *nu.* 389. aliquo modo loquar, esse non debet, alioquin inutilis est, immo & mori dicitur, sic & superior mel quidem habeat in verbis, sed nimia mollitie aculeo non careat, quo subditos suos, vt res postulat, acriter pungat. Mel simul,

81. & aculeum habeat, vt non dulcis tantum suis subditis sit, sed eos etiam, cum res exigit, verbis asperioribus pungat, & pœnis. Quod si apis tunc mori dicitur, cum aculeum amiserit, etiam apis spiritalis vitam suam suorumque amittit, si necessariæ increpationis; & animaduersionis aculeum amiserit. Rex exemplo suo firmat Heli, qui eo quod dure filios non in-

crepauerit, tamquam amisso aculeo infeliciter perijt. 1. *Regum* 2. Vocanda huc sunt SANCTI PETRI DAMIANI verba; sic enim
82. scribit *lib.7.epistol.3.* Heli, inquit, sacerdotij dignitate detruditur, dum non intentat filijs verbera, sed blanditur, vtcumque tamen corripuit illos, sed lenitate Patris, non austeritate Pontificis, atq; iccirco ceruicibus effractis occubuit, quia peccantibus inclementer indulsit. Sic ille. NOVARINVS autem sic sequitur, Quid hic illi, qui nec leuiter suos corripiunt, sed conniuent, sed tacent, sed dissimulant? Quam misera eos mors expectat, quam durum iudicium; nam eo durius, acerbiusque in eos Dei omnipotentis ira deseuiet, quo minus ipsi duri, & magis lenes in alios extitere. Apes sine aculeo morientur, & diuinæ iustitiæ sentient aculeum, quo æternum torquebuntur.

Ex dictis igitur patet, Prælatos non solum habere potestatem obli-
83. gandi subditos in conscientia, sed etiam eorum præcepta extendi posse ad mortalem culpam; vt probat quoque latissime SVAREZ *Tom.4.de Relig.lib.2. cap.9. nu.25.* Nam si eorum potestas consideretur, vt fundata in voto, illud ex suo genere obligat sub mortali; si vero vt est iurisdictio, illa etiam perfecta est, & ideo se extendit ad obligationem materiæ, & rei præceptæ conuenientem; qua ratione constat, non solum in Pontifice, sed etiam in Episcopis esse hanc potestatem; illam ergo participant Religionum Prælati. Difficultas igitur est de vsu, seu actuali obligatione, id est, quando præceptum Prælati tale sit, vt obliget sub mortali, quod est punctum ipsum quæstionis, de quo modò principaliter quæritur.

Supposita igitur supradicta potestate Prælati, duæ conclusiones necessariæ sunt, materia capax talis obligationis, & voluntas Prælati. VASQVEZ *prima secundæ quæst. nonagesima octaua cap. 4. nu.30.* tradit veram regulam ad cognoscendam obligationem ad veniale, vel mortale, quod sc. præ oculis habeatur
84. grauitas, & vtilitas eius, quod præcipitur. Verba enim Prælati præceptiua, vel in actu signato, vt mando, præcipio, vel in actu exercito, vt fac, recita, &c. solum attendenda sunt, vt cognoscamus, vtrum constitutio habeat vim præcepti obligantis

in

in conſcientia, an ſimplicis ſolum cõſtitutionis. Porro materiæ, quæ præcipitur, grauitas, & vtilitas tantæ cõſultationis eſt, vt non pendeat ex voluntate legiſlatoris ad mortalem, aut venialem culpam obligare, poſito ſemel præcepto; ſed ex ipſa materiæ grauitate & leuitate reſpectu finis, cuius gratia præcipitur, culpa venialis, aut mortalis iudicanda ſit. Quocirca, vt rectè admonet DRIEDO *lib. 3. de libertate Christiana cap. 3. ad 5. arg.* non eſt in poteſtate legiſlatoris, prout voluerit, obligare lege ſua ad mortale peccatum, niſi materiæ grauitas ſit, omnibus circumſtantijs conſideratis.

85.

86. Idem VASQVEZ *nu. ſeq.* inſuper cenſet, non eſſe in poteſtate legiſlatoris præceptum, & legem ferre obligantem ad ſolum veniale, ſi materia grauis eſt, conſiderato etiam fine ipſius. Ratione oſtenditur, nam quamuis ex voluntate legiſlatoris pẽdeat præcipere, & non præcipere, tamen poſito ſemel præcepto, vis ipſa obligandi ex iure ipſo naturali deriuatur; hoc enim ius ſtatuit, parendum eſſe ſuperioribus præcipientibus. Deinde ſicut non poteſt Princeps leuem materiam ita præcipere, vt ad mortalem culpam obliget, eodem pacto nõ poteſt rem magni momenti iubere cum ſola obligatione ad veniale, quaſi materia

87. leuis eſſet. Addit etiam VASQVEZ, quod differentia mortalis, & venialis peccati non pendet ex vlla voluntate, etiam Dei, ſed ex natura ipſius operis ſic facti. Ergo neque ex legiſlatoris voluntate pẽdebit eſſe mortalem, aut venialem tranſgreſſionem.

Quod differentia mortalis & venialis peccati ex natura rei, non ex

88. Dei miſericordia pendeat, ſic probat *idem* VASQVEZ *diſp.* 142. *cap. 2. n. 5.* primo, quia ex Dei voluntate non conſtat reuelatione aliqua hæc potius, quam illa peccata venialia eſſe, multaq. nobis relinquuntur arbitrio prudenti dijudicanda; quomodo ergo dicere poſſumus ex natura rei omnia eſſe mortalia? alioqui non haberemus principium aliquod iudicandi hoc potius, quã illud eſſe veniale. Secundo, cum noſtri ad Deũ ſit amicitia, & iuſtitia, quæ per graue peccatũ, & offenſam tollitur, cur etiã non erit leuis aliqua iniuria, quæ ex ſe non ſufficiat talem amicitiam diſſoluere? Tertio voluntas Dei eſt ipſiuſmet eſſentia, quæ non dicitur magis aut minus diligere res, neque unã odio habere, & aliam diligere, ex eo quod ipſa in ſe diuerſo modo ſe habeat, ſed ex diuerſitate rerum, quas reſpicit, dicitur magis,

aut minus diligere, magis, & minus odio habere; quare si res in se est magni momenti, & ad eã refertur essentia Dei per modũ odij, non poterit non magno odio eam prosequi; tum etiam si sit magni momẽti, & cum ea comparetur per modum dilectionis, non poterit non illam magno amore diligere.

Hinc igitur rectè colligitur inter peccata aliqua esse mortalia sua
89. natura, non ex Dei voluntate, aliqua vero venialia ex se, non ex misericordia Dei; nã si ex parte ipsorum non esset differentia, omnia æqualiter Deo displicerent, quod est absurdum. Improbabilis igitur est opinio eorum, qui contrariam sententiam sunt sequuti, asserentes, differentiam mortalis, & venialis non nasci ex natura ipsa operationum, sed ex lege Dei ita statuẽte, vt hoc sit veniale, illud vero mortale. Quam opinionem docuerunt GERSON 3. *p. tract. de vita spirituali lect. 1.* quæ habetur *Alphabeto 61. littera A, & seq.* ALMAINVS *tractat. 3. moral. c. 20. &* ROFFENSIS *art. 32. contra* LVTHERVM, qui omnes contra Lutherum, & Caluinum docent, esse quidem aliqua peccata venialia in hominibus iustis, quæ Dei amicitiam non dissoluunt, & alia mortalia, quæ iustitiam Dei omnino tollunt; hanc tamen differentiam in Dei tantũ voluntatem, & statutum ita reuocant, vt cum aliàs omnia peccata ex se mortalia essent, sola Dei misericordia ad æternam pœnam non imputantur, & ideo venialia, & leuiora maneant.

Ex sententia igitur supradicta, quam VASQVEZ, vt multo probabiliorem complectitur, colligi potest, cur præcepta Prælatorum
90. non obligent ad mortale, quando materia non est ex se grauis, vel ex adiunctis circumstantijs. Et quamuis verbis præceptiuis vtatur, & ipse perseueret in voluntate obligandi, nihilominus non supposita tali materiæ grauitate, non tenetur hac obligatione subditus sub mortali; immo ipse Prælatus peccat, abu-
91. tendo sua potestate, quam accepit in ædificationem, nõ in destructionem, si sic præcipiat. Consulerem ego subdito, quan-
92. tumcunque materia tam stricti præcepti non sit capax, obedire propter duo. In primis, quia non semper est talis, qualis iudicatur, & licet non sit sufficiens ad mortale, tamen valet saltem ad veniale; quare ad illud vitandum iuuerit obedire, & de materiæ grauitate, aut leuitate non iudicare, cum id periculosum sit ratione erroris, qui plerumque in proprio negotio interuenit,

pit, & ratione dubij, quod est in ea re frequens, & ius tribuit Prælato; & quo durante, numquam ab obedientia recedere licet; quando videlicet non certo constet materiam rei præceptæ
93. non esse grauem. In dubio enim præsumendum est materiam præcepti stricte dati esse grauem, videlicet ob bonum commune, vel particulare, quod obtenditur à Prælato, ac proinde præcepto illi obediẽdum sub peccato, vt colligitur ex GABR. in 4. *distin.* 16. *q.* 3. *&* GERS. *Alphab.* 6. Secundum est, ne ex ommissione præcepti nascatur scãdalum, vel perturbetur pax in monasterio, ad quæ euitanda subditum iuri suo cedere par est, vt D. THOM. *probat* 1.2. *q.* 69. *art.* 4.
94. An autem superior possit ferre præceptum de re graui ad veniale tm̃ obligans, negat VASQ. vti uidimus, SANCH. vero *li.* 6. *Tract. oper. mor. cap.* 4. *nu.* 26. affirmat; dum ex multi Doct. probat, esse in potestate legislatoris ad nullam culpam obligare, aut etiam in materia graui ad solam venialem. Et respondet ad argumẽtum VASQVEZ asserentis, tam stultam esse voluntatem, velle ut præceptum de re magni momenti, vtpote quod maximi põderis esse debet, leuiter, & sub veniali obliget; quam vt præceptum rei leuis obliget sub mortali, & graue sit. At omnes fatentur hoc non posse superiorem efficere, ergo nec illud efficere potest. Respondet dico SANCHEZ, negando maiorem, quia
95. grauem obligationem imponere in materia re vera leui, excedit rationis limites, ita vt nulla ratione iuste effici possit; & proinde excedit potestatem superioribus traditam, vtpote quæ ad conuenientem, & rectam gubernationem est. At in materia graui non obligare ad mortale potest ex aliqua causa iustũ reddi, vt ne multiplicentur præcepta grauia, & vt suauior sit gubernatio. Et ideo sicut potest superior nullum tunc imponere præceptum, ita ei quoque datum est, vt non imponat adæquatum toti suæ potentiæ, sed limitetur iuxta suæ voluntatis limites. Fatetur tamen *ipse* SANCHEZ *nu.* 31. quando non constat de
96. limitata legislatoris voluntate, recurrendum esse omnino ad materiæ grauitatem.

Quod autem ad discernendam intentionem volentis obligare sub mortali, an veniali, quando aliunde de præcipientis intentione non constat, vera regula desumenda sit ex grauitate, vel leuitate materiæ præceptæ, docet VICT. *relect. de potestate ciuil. nu.* 19. vbi

19. vbi ait, an lex siue diuina, siue humana obliget ad mortale, vel veniale, relinqui discernendum ex sola materiæ qualitate. Idem docet ARRAGON. *2.2.q.62.art.3.col.6.§. etsi quis quærat*, vbi dicit, generaliter quantitatem obligationis sumendam esse ex rei præceptæ qualitate. Et melius id docet MOLINA *tom.2. de instit. disput.344. ad fin.* vbi scribit, non quæcumq; à Summo
97. Pontifice prohibita, aut præcepta prohiberi, aut præcipi sub reatu lethalis culpæ, esto præcepta condat ad culpam obligantia, & esto dicat ex diuini honoris affectu se firmiter prohibere; sed ad discernendum, an sub lethali, aut veniali culpa obli-
98. gent, spectandam esse dignitatem materiæ præceptæ, & pœnā legē transgressoribus statutam. Idem cum multis Doct. docet SANCHEZ *nu.31.*

Sed vnde constabit, intentionem præcipientis esse obligare sub lethali peccato, supposita materię grauitate? ex verbis, quibus
99. vtitur in præcipiendo. quæ autem sint hæc verba, aut signa, ex vsu cuiusque religionis sumendum esse tradit SVAREZ *tom. 4. de relig. lib.2. cap.8. nu 26.* Communia autem sunt, cum superior præcipit, in virtute obedientiæ, aut in virtute sanctæ obedientiæ. Certum est enim inter Doctores, hæc verba addita legibus, & præceptis clare significare, intentionem præcipientium esse obligare sub mortali. Ita docet GAB. *4. distin. 16. q. 3. art. 1. ad fin.* D. ANTONIN. *2. p. tit. 4. c. 2. §. 3. & p. 3. tit. 16. cap. 1. §. 9. ad fin.* ANGEL. *v. lex, nu. 3.* SYLV. *v. Præceptum q. 2* CAIET. *2. 2. q 186. art. 9. circa solut ad 2.* TABIEN. *v. lex q. 28. nu. 29. & ibi* ARMIL. *num. 4.* CASTR. *lib. 1. de leg. pœnal. c. 1. docum. 4.* IOAN. METIN. *C. de ieiun. q. de necessit. seruan. ieiun. §. vt igitur quodammodo.* LEDESMA *2. p. 4. q. 17. art. 2. dub. 6.* NAVAR. *c. 23. num. 53.* SAYR. *Clau. Reg. lib. 3. cap. 7. nu. 224* SALON. *2. 2. q. 77. art. 1 controu. 8. reg. 2.* ARRAGON. *2. 2. q. 62. art. 3. col. 6. §. etsi quis quærat.* VALENT. *1 2. disput. 7. q. 5. puncto 6. q. 3. in tertio signo, & 2. 2. disput. 10. q. 4. punct. 5. colum. antepenult. versic. præter hanc autem.* MANVEL *tom. 1. sum. in 2. edit. cap. 194. num. 2.* AZOR. *tom. 1. Instit. moral. lib. 5. cap. 6. quæst. 5.* SVAREZ *loco allegato.*

Idem censendum esse docet SANCHEZ *in suo oper. moral. lib. 6. cap. 4. nu. 43.* Si dicatur, virtute iuris iurandi pręstiti, aut voti facti: In virtute spiritus sancti; in nomine, vel virtute Iesu; sub interminatione gehennæ; sub pęna maledictionis Dei; sub indigna-

tione

tione Apostolorum Petri,& Pauli; sub stricto Dei iudicio. Et hæc omnia verum habent, etsi dubium sit, an materia sit ita grauis, vt capax esse possit obligationis sub mortali, quia dum
100. de materiæ leuitate non constat, tenetur subditus iudicio superioris stare. Sic *Corduba in Reg D. Francisci c. 10. q. 3. punct. 1. In primo modo cognoscendi quomodo præcepta obligent*. ARRAGON. 2.2 *q. 62 art... col. 6. §. etsi quis quærat*.
101. Quomodo autem ex pœnis colligi possit intentio præcipientium non inducendi obligationem, aut inducendi hanc, vel illam, obseruandum est, quod quando apponitur pęna spiritualis, manifeste colligitur aliquā in transgressione culpam esse; e.g. quando transgressori præcepti imponitur pęna excommunicationis minoris, tūc est signum, præcipiētes velle solū obligare ad veniale; secus dicendum, si præcepti transgressori imponatur pæna excommunicationis maioris, tunc enim incurritur absque dubio peccatum lethale. Et quidem, si excommunicatio imponatur ipso facto incurrēda propter præcepti trāsgressionem, res est indubitata, quia excommunicatio non incurritur nisi propter peccatum mortale. Si autem solum ad-
102. iungatur excommunicatio ferenda, aliqui putant non esse sufficiens signum, quia non statim incurritur censura per illum actum, sed requirit nouam contumaciam, vt imponatur; ita sentit ANGLES *p. 2. de voto ar. 2. difficul. 16.* D. ANTONIN. cum distinctione 2. *p. tit. 4. cap. 2. §. 3.* respondet, quando sc. à iure imponitur, esse signum obligationis sub mortali; verum quando ab homine, dubium esse. Alij vero communiter sentiunt, etiam illud esse sufficiens signum obligationis sub mortali, nisi aliquibus indicijs sufficienter constet, illam esse meram comminationem externam, ita cum CAIET. NAVAR. CASTR. SYLV. ANGEL. TABIEN. & S. ANTONIN. SVAR. *paulo ante citatus n. 26. censet.* qui omnes generaliter loquuntur de quocumque præcepto ecclesiastico; quia per transgressionem talis præcepti efficitur quis dignus excommunicatione; non autem fit dignus nisi per peccatum mortale, etiam si excommunicatio per iudicem ferenda sit. Propter quod probabilior est hæc sententia; Videtur autem mihi longe certior inter religiosos, inter quos etiam raro, vel numquam proponitur hæc censura per meram comminationem, sed ad explicandum præcepti rigorem; sufficienter

igitur

igitur indicat voluntatem obligandi per se, ac regulariter loquendo.

SANCHEZ *loco allegato nu.* 51. hoc temperandum esse asserit, ni si lex aliqua, aut superioris præceptum sub excommunicationis ferendæ pæna ederetur sub ea forma, vt necessaria sit monitio præuia, priusquam excommunicatio illa propter transgressionem infligatur. Cum enim tunc transgressor non sit excommunicatione dignus, donec moneatur, pęna illa non est sufficiens obligationis sub mortali indicium, donec ille monitus nō cesset. Et in hoc casu intelligendi sunt Doctores supra allegati, qui primam sententiam tuentur.

103. Sed dubitari potest, an possit Religiosus à supradicta obligatione obediendi aliquo modo excusari, & respondet SVAREZ *vbi supra num.* 27. posse quidem, vel per ignorantiam, vel per necessitatem, aut coactionem. De priore certum est etiam in præsenti posse accidere, siue sit sermo de ignorantia facti, siue iuris, cum hæc præcepta humana sint. Quando autē hæc ignorantia inuincibilis sit, ex generalibus principijs expendendum est. Solum hic aduertit SVAREZ, ignorantiam proprij iuris non facile esse excusabilem in religioso, quia maiori obligatione tenetur illius notitiam, & frequentem memoriam habere, præsertim quo ad eas leges, quæ sub culpa obligant. Altera item excusatio locum habet in præsenti materia, quia præcepta hęc vt plurimum humana sunt, & ideo non obligant cum tanto rigore. Item, quia voti executio non obligat in simili euētu &c.

104. Sed quid, si voluntas superioris sit obligandi etiam in eo casu particulari, non obstante coactione, mortis periculo, vel alia necessitate. Respondet idem SVAREZ *nu.* 29. hunc modum præcipiendi non excedere potestatem Prælati religiosi. Ita tenet CAIET. *tom.* 3 *opusc. tract.* 9. qui est de hac re; & sumitur ex eodē, & communi sententia 1.2. *q.* 69. *art.* 4. Et ratio est, quia Prælatus religionis est vere superior, habens potentiam ad omnia, quę ad perfectam gubernationem inter homines necessaria esse possunt; hic autem modus obligationis sæpe necessarius est. Vnde Principes sæculares, & ecclesiastici hanc habent potestatem, vt late in materia *de legibus lib.* 3. *cap.* 30. probat ipse SVAREZ. Potest explicari hoc, & similibus alijs exemplis, nam si religiosus ægrotet morbo contagioso, potest Prælatus præcipere

pere alteri, vt ei miniſtret, etiam cum periculo vitæ, quia illud eſt neceſſarium ad conueniens regimen *Monaſterij*, & ad cõſeruationem, atque adeò ad commune bonum eius: præterquam quod charitas de ſe obligat hoc corpus religioſum ad ſubueniendum partibus, quibus conſtat, alias ei periculum imminet.

105. Vtrum autem in Prælatis religioſis ſit poteſtas coerciua ad pœnas, reſpondet SVAR. *c.9. n.1.* id manifeſtũ eſſe, tũ ex vſu, tũ ex ratione, quia poteſtas directiua ſine aliqua coercitione, infirma, ac fere inutilis eſt; quia ſine timore, ac diſciplina non poteſt communitas humana in officio contineri, quantumuis bona videatur in hac vita mortali. Habent enim Prælati religionum poteſtatem coerciuam, & modo paterno, ac iuxta limites regulæ, & ratione iuriſdictionis eccleſiaſticæ, qua habent poteſtatem coerciuam Epiſcopalem, & ideo poſſunt, ad coercendos ſubditos, ferre quaſcumque Eccleſiaſticas cenſuras, quæ alias iuſte poſſint in tali materia, ſeu crimine perſonis imponi. Dicitur autem quæ poſſint imponi perſonis, vt excludatur interdictum locale, quod non poteſt ab his Prælatis imponi. Idem dicendum de Irregularitate, quia neque Epiſcopi illam imponunt; Irregularitas enim tam grauis res eſt, vt ſolo Pontificio iure imponatur, & ſolum in caſibus ab ipſo expreſſis, *capite is qui, de ſententia excommunicationis in ſexto.*

106. Data eſt à Summis Pontificibus ſpecialiter hæc facultas excommunicandi ſubditos Prælatis Clericorum Canonicorum Saluatoris Lateranen. vt eſt videre *in ſuis Indultis, & Priuilegijs* à BASILIO SERENIO *collectis*. Quibus omnibus gaudent æque

107. principaliter, ac ſi ipſis ſpecialiter conceſſa fuiſſent, Canonici Sancti Spiritus Venetiarum, vt me vidiſſe teſtor in gratijs, & Priuilegijs per Summos Pontifices ijſdem indultis. Quæ autem ſint gratiæ, & priuilegia Pontificia, & quam ampla

108. Clericis Canonicis Apoſtolicis indulta, legatur idem eorumdem Priuilegiorum Collector SERENIVS. Qui in calce operis teſtatur, Clericos canonicos Lateranenſes æque gaudere omnibus clericorum Monachorum, Mendicantiumque priuilegijs, indultis, gratijs, exemptionibus, ac facultatibus, parti-

cipareque vigore communicationum, ac extensionum principaliter, indifferenter, atque hi, quibus primaria origine concessa fuerunt. Sed animaduertendum est, non omnia priuilegia collecta ab ipso SERENIO, adhuc in robore perstare; verum singula appendenda pondere Sanctuarij, vt ipsemet SERENIVS scribit, id est, ad sacri Concilij, recentumque Romanæ Ecclesiæ decretorum metrum metienda.

Communicatio supradicta priuilegiorum aliorum ordinum Con-
109. gregationi Canonicorum Lateranensium facta, extenditur etiam ad viuæ vocis oracula, ab eis impetrata, vel donata. Iulius 2. Fratribus Augustinianis, vt habetur *in Compendio Minorum Tit. Communicatio Priuilegiorum.* recitat viuæ vocis oraculum Sixti Papæ V. SERENIVS *vbi supra*; quo ipsum San-
110. ctissimum concedisse testatur Alexander Cardinalis Farnesius, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarius, ac Monachorum Casinensium, alias Sanctæ Iustinæ de Padua Ordinis S. Benedicti Protector, RR. Patribus Abbatibus congregationis Casinensis, tam nunc, quam in futurum existentibus, perpetuo, etiamsi ab Archiepiscopis, Episcopis, alijsque locorum ordinariis ad id examinati non fuerint, & approbati, vt Christi fidelium quorumuis vtriusque sexus, tam laicorum, quam clericorum, ad eos sponte accedentium, possint confessiones audire, &cæt. An vero huiusmodi viuæ vocis oraculum extendatur, &cæt. videant illi, quibus ipsum vsui futurum est.

Quod ad excommunicationem vero spectat, dixi supra, CONC. TRIDENT. monere, huiusmodi gladium sobrie, & caute exerendum esse. Modo addam, hoc salutari gladio, prudenter tamen, clementerque à charitate Prælatorum districto animarum medicinam parari. Ideo ipsi Prælati, quando coguntur hoc Petri gladio vti, vt quibus verbũ suadens, & admonens non medetur, minæ medeantur, (vt cum CLEMENTE 1. *Pædag. c.*
111. 7. loquar,) deberent primũ comminatoriam excõmunicationẽ fulminare, solus .n. spiritualis huius gladii fulgor terrere solet subditos. Quos si huius postea potentis, ac formidabilis gladii terror, ac metus nõ percellerit, tũc eos excõicationis ipso facto ĩcurrẽdę mucrone ferire licebit; vt q̃b. minę nõ medẽtur, virga

medeatur;

medentur; & quibus virga non medetur, eos ignis depaſcat, ne ab eodem CLEMENTE diſcedam. Legatur NAVCLER. *De Monarchia p.2.lib.3.cap.*14.qui excommunicationis terrorem, & ex terrore ſalutem peccatorum multis illuſtrat exemplis.

Eſt igitur in Prælatis Religionum poteſtas coerciua ad excommunicationis, & aliarum cenſurarum pœnas, quam poteſt, immo debet aliquando exercere. An vero hæc eadem poteſtas com-
112. petere poſſit Abbatiſſis Monialium, negatiue reſpondendum eſſe videtur, quia mulieres poteſtatis eccleſiaſticæ incapaces ſunt. Et ARISTOTELES 1.*Polit.*ſcripſit, corruptionem eſſe Reipublicæ, ſi Principatus, & adminiſtrationes ad feminam deueniant. Vnde quidam dubitauere, alij vero prorſus negauere, feminam iuriſdictionis temporalis etiam eſſe capacem. Sed
113. aſſerendum abſolute (quidquid ſentiat ARISTOTELES) feminā iuriſdictionis temporalis capacem eſſe, ſaltem de cōſuetudine ex Pontificio Cæſareoq. iure. Dubitatur tamē maxime, omninoque inter Theologos ipſos, & Iuriſconſultos cōtrouertitur, An mulier poteſtatem aliquam eccleſiaſticam habere poſſit.
114. Negatiuam ſane prorſus amplectitur, omnibusque rationibus comprobare nititur *Victoria Relect.de poteſt.eccl.*

Vnde ipſe VICTORIA vult ſequi, quod Abbatiſſæ ceteræque Monialium Præfectæ, ac moderatrices non poſſunt aliquid mandare
115. in forma pręcepti, putà in virtute Spiritus ſancti, & Sāctę obedientiæ, & ſub præcepto; nec ſi fiat, factum tenere ait, ita quod obliget, tamquam præceptum Epiſcopi, Abbatis, aut Prioris. Quod ſi forte quis quęrat, an, & quomodo Monachę teneātur ſuis obedire Abbatiſſis, Reſpondet idem VICTORIA. Primo, eas ad obediendum quidem teneri, ſed ratione ſuæ Regulæ, vbi continetur obedientia Abbatiſſæ. Secùndo, eaſdem teneri præceptis Præpoſitæ, ad modum quo filij familias tenētur obedire parentibus; peccant enim tranſgreſſores præceptorū ſuorum parentum, nec tamen parentes habent iuriſdictionem ſpiritualem. Et tandem taliter ſuæ Cænobiarchæ mandatis deuinctæ remanent, qualiter ſuæ ſtatutis Regulæ, quæ ſpeciale pręceptum non habent. Et licet, nolle abſolute obedire Abbatiſſæ mortale peccatum ſit; non poteſt tamen ipſa vllo pacto noua condere præcepta, ideſt vltra regulam.

Sed D.THOM. ABVL. DVRAND. SYLV. SOT. permultique alij citati ab

ALVIN *De potestate episcop. &c. cap. 2. nu. 3.* Abbatissis clauem, siue potestatem ecclesiasticam iurisdictionis denegāt ordina-
116. riam; delegatam tamen à Papa, & à iure positiuo concedunt eisdem, & ex commissione, & ratione suæ dignitatis, atque officij vsum quemdam iurisdictionis. Quamquam enim ex iure diuino vir sit caput mulieris, quia tamen non nisi cum scandalo, & periculo viri cum feminis Deo sacratis, etiam ad eas moderandas cohabitare possent, absurdum profecto esset, & inconueniens, si à Papa à iure, & à Prælatis, seu superioribus, & constitutionibus ordinū nulla censeretur delegata, & commissa potestas, & iurisdictio Præfectis Monialium, per quam illas moderari, & in suo continere officio valeant. Et hanc esse communiorem Theologorum, præsertim Scholasticorum opinionem testatur idem ALVIN. Qui etiam scribit aliter sentire
117. Canonistas, præcipue *ex ca. Dilecta*; volentes; vt prælaturæ dignitas officiorumque præstantia feminis ecclesiasticis iurisdictionem spiritualem, & ecclesiasticam ordinariam tribuat; qua iure nō tantum delegato, & commisso, sed ordinario fungantur, & vti valeant in suas præsertim Moniales.
Vnde PANORMITANVS notat *ex d. ca. Dilecta*, quod Abbatissa est capax iurisdictionis spiritualis, & quod iurisdictionē ipsam exercere potest in suas Moniales. PETRVS GREG. *lib. 47. syntagm. iuris cap. 11. num. 6.* scribit, permitti & Abbatissæ iudicare inter suas Virgines de his, quæ ad regulam pertinent, & inter eos, qui sunt suæ iurisdictionis per *d. cap. Dilect.* Et ne forte ipsum Panormitanum de libera administratione temporali tantum in Abbatissa intelligendum quis asseueret, non autem de temporali, & spirituali simul, videat, consideret attentius cū ALVIN. *cap. 3. nu. 1. cap. vlt. de statu Monachorum*; In eo enim statuitur per Honorium Papam 3. de correctione Abbatum, de correctione Monachorum, visitatorum ipsorum, de sæcularibus clericis in Monasterijs beneficiatis, & ab eo tempore non beneficiandis, ac tandem expresse extenditur constitutio ad Moniales per hæc verba. *Hæc autem omnia etiam in Monasterijs, quæ non habent Abbates proprios, sed Priores; necnon in Monasterijs Monialium quo ad articulos Abbatissis, & Monialibus cōgruentes præcipimus obseruari.* In quo capite, & constitutione, cum expresse agatur de administratione, tàm spirituali, quàm temporali, tā
Abba-

Abbatum, quā Abbatissarū, per istam extensionem adductam, æquiparatur vtique Abbatissa Abbati, in administratione sui Monasterij, tam spirituali, quam temporali; ac consectarie in claui, non ordinis, sed iurisdictionis spiritualis, & in ijs, quæ Monialibus possunt congruere.

118. Super dictam vero constitutionem cum PANORMITANO idem ALVIN *nu.* 2. tria obseruat. Primum, correctionem Monachorum, & Monialium spectare principaliter ad Abbatem, & Abbatissam. Secundum, quod Monachi, & Monachæ possūt corrigi, non solum iuxta suam regulam, sed etiam secūdum sacros canones; canones namque simpliciter loquentes extenduntur etiam ad religiosos. Tertium, quod dispositum in Monachis, & Abbatibus extenditur ad Abbatissas, & Moniales in illis congruentibus tantum. At quod disponitur in Abbatissis, & Monialibus non habet locum in masculis. *Masculinum enim concipit femininum in fauorabilibus, non autem in odiosis; at femininum non concipit masculinum in iuris dispositionibus*. Vnde vt Monachus potest intrare Monasterium arctius, ita etiam affirmat id Monialem posse idem PANORM. *in hanc ipsam constitutionem. Ex text. & glos. cap. Monachis 2. quæst.*

SALAS *de legibus q.* 95. *per totum sect.* 19. late probat, potestatem etiam legislatiuā ecclesiasticam posse etiam feminis delegari; quod
119. sic probat, quia nullo iure diuino prohibitum videtur, ne Papa pro sua suprema potestate possit mulieri delegare potestatem ferendi leges, etiam aliquas, quę iure diuino emanauerint, vt excommunicare. Et SALMERON 1. *Cor.* 14. *disp.* 3. S. subdet, as-
120. seuerat, non adeo turpe esse, mulierem publice docere, vt iure diuino simpliciter sit ei interdictum; quin potius existimat, posse Pontificem *Max.* in eo dispensare, vt mulier publice doceat, si sanctitate, & sapiētia polleat, & dono reuelationum in-
121. signita sit, vt fuit B. Catharina Senensis; quæ in Consistorio apud Papam, & Cardinales non semel sermonem habuit; igitur eadem ratione poterit mulieri à Pontifice potestas ferendarum legum delegari.

D. THOMAS ab ipso SALAS supra citatus, quē cęteri sequuntur, dicit, Abbatissas nō habere iurisdictionem spiritualem ordinariam,
122. sed quasi ex commissione; immo, & quemdam vsum clauium habere affirmat. Possunt igitur Abbatissæ vere obligare sub

123. peccato mortali, & in virtute sanctæ obedientiæ præcipere, nec hoc est inconueniens; quamuis enim facile errare possint, tamen facile ab Episcopo, vel ab alio Prælato, cui Monasteriũ subiectum sit, corrigi poterunt, & earum potestas, vbi visum fuerit, limitari. Vnde valde diminute ANGELVS, v. *Abbatissa nu. 6.* ait, posse Moniales, siue subditas monere, & exhortari; quo innuit, nil posse eis præcipere; quod est, vt ait idem SALAS, magna ex parte subuertere Monialium obedientiam.

SVAREZ *4. de Relig. Tract. 6. lib. 1. cap. 12. nu. 9.* tribuit Abbatissis pote-
124. statem dominatiuam, hoc est potestatem administrandi, & regendi Monasterium, ac personas, ac bona eius. Cuius potestatis ratione potest præcipere Monialibus, & illę tenētur in conscientia obedire ex vi voti obedientiæ. Moniales enim promittunt obedientiam Abbatissæ, seu Priorissæ, vt constat ex formulis profitendi, igitur si Abbatissa ita præcipiat, vt fidem datam exigat, obligabit in conscientia; vel, si modus loquendi magis placet, votum ipsum obedientiæ obligabit posita tali iussione, quæ est quasi applicatio materiæ voti, in quo eadem est ratio potestatis, & obligationis in femina, quæ in viro.

125. Sed ad Prælatos Religionis, de quibus quæstio est, & primo, an ipsis sit potestas coercitiua ad pænas corporales; circa quod legatur idem SVAREZ *Tract. 8. lib. 2. cap. 9.* vbi etiam ostendit ad quas se extendat hæc potestas eorumdem Prælatorum; an etiã ad pænam mortis, relaxans eum brachio sæculari; an ad mutilationem, flagellationem, exilium, & triremes. Denique probat, Prælatũ religionis posse præcipere subdito grauiores aliquas pænas, vel labores, aut opera, vel aspera, & dura, vel humilia, & abiecta pro qualitate delicti. Id sumit ex SYLV. *v. Relig. 6. q. 6.* & ANGELO *v. Religiosus nu. 29.* Sed in hoc considerandą est differentia inter has pænas, & alias grauiores corporales; quod ad alias solum obligatur homo, vt eas patiatur, non resistendo violenter: ad eas autem potest obligari religiosus etiam actiue (vt ita dicam) eas in se exequendo: quia hæc obligatio non excedit humanam iurisdictionem, nec est res nimis ardua, aut difficilis, de quo latius agit idem SVAREZ *in materia de legib. lib. 5. à cap. 5.*

126. Quæri hic potest, an lex humana pęnalis obliget ad culpã transgressores, & respondet VASQVEZ *1. 2. quæst. 58. c. 2. n. 14.* quod

quamuis

quamuis lex, quæ dicitur pure pænalis, ex se ad solam pænam obliget, nihilominus si id, contra quod pænam statuit, alia lege naturali, aut ciuili, aut canonica prohibitum erat, non tollit obligationem priorem. Quare optime colligit ALPHONSVS DE CASTRO *citatus ab ipso* VASQVEZ, eos, qui nolunt soluere
127. consueta vectigalia trãsferentes merces ex vno regno in aliud, non solum mereri pænam impositam per legem, etiam si lex sit pure pænalis, verum etiam peccare, & obnoxios esse restitutioni, si alioqui vectigalia imposita iusto titulo perseuerant; quia illa debebantur in cõscientia, & lex, quæ postea opposuit pænam, non abstulit, sed potius priorem obligationem formauit. VASQVEZ insuper non solum hoc verum existimat, quando alia lege priori vectigalia essent constituta, verum etiam quando eadem lege, quæ pænam statuit, primo constituerentur. Iure enim naturali debemus vectigalia Principi. Hinc
128. colligi licet, saltem esse erroneam opinionem asserentium, leges, & constitutiones pænales de re graui in constitutionum Religionis corpore insertas, non obligare ad culpam mortalem.
129. Sed ad alteram regulam, quæ superest, ad cognoscendã obligationem legis ad culpam mortalem; ea vero est grauitas ipsius materiæ secundum se, & ex ordine ad finem ipsius legislatoris, vt supra tetigimus. Ceterum in hac etiam assignanda
130. Doctores non eodem modo sentiunt. Primo, CAIETANVS *Tom. 1. Opusc. tract. 25. quæst. 1.* hanc regulam statuit, qua discernat materiam præcepti obligantis ad mortale, à materia obligãtis ad veniale, vt ea solum præcepta obligent ad mortale, quorum transgressio opponitur charitati Dei, aut proximi. Non dicit, quorum transgressio tollit gratiam, & charitatem ex anima; hoc enim manifestum erat, nihil tamen conductus ad cognoscendam specialem materiam mortalis, & venialis, vt patet. Secundo, alij disputantes de solo præcepto humano, de quo nunc tantum est controuersia, dixerunt, tunc solum reputari transgressionem grauem, & culpam mortalem, cum quis non semel, & iterum, sed pluries ex consuetudine legem transgreditur. Tertio, alij distinguunt mandata, & præcepta; omne autem illud, quod est contra mandatum, dicunt esse veniale, quod vero est contra præceptum, esse mortale, & ita grauem

uem materiam præcepto, leuem autem mandato adscribunt.

131. Sed VASQVEZ *vbi supra disput.* 158. *cap.* 4. has tres sententias improbat. Primam sic, quia ex illa aperte sequitur, præceptum ieiunij, non solum non obligare singulos fideles ad mortale; sed etiam non posse, quia in eo numquam violatur charitas cum proximo, nec eius transgressio directe est contra Deum, si quidem opus ieiunij non est alicuius virtutis referentis nos proxime ad Deum, sicut præcepta primæ tabulæ. Secundam vero hoc modo, quia ex ea sequeretur, illum qui contrahit semel in gradibus prohibitis scienter, non peccare mortaliter; multaque huiusmodi exempla adduci possent, quę si concederentur, absurdum plane esset. Tertiam denique non approbat *ipse* VASQVEZ, quia vel mandatum habet vim legis, seu præcepti, aut non habet, sed simplicis solum constitutionis. Si habet vim præcepti, obligare potest, non minus quam præceptum, iuxta materiæ grauitatem; si non habet, neque ad veniale ex se obligabit, sicut neque consilium. Addit VASQVEZ ex se, quia ex prauo fine operantis fieri potest transgressio illius mala.

132 Affert etiam aliam regulam, quæ est CAIETANI, *in Sum. v. Præcepti transgressio*, vt scilicet solum dupliciter contingat peccare mortaliter contra præceptum humanum; primum per contẽptum, deinde impedimentum opponendo fini pręcepti. Sed

133. omissis his omnibus, quod minus sufficientia sint, concludit, grauitatem materiæ præcepti positiui, tam sæcularis, quàm ecclesiastici arbitrio prudentis viri dignoscendam esse, sicut in iure naturali, & diuino contingit. Ibi enim furtum paruum à magno non certa aliqua regula, quæ vix assignari potest, sed arbitrio prudentis discerni debet. Eodem modo in verbis cõtumeliæ, & in omnibus alijs, in quibus maior, & minor materia reperitur, vt mortale, & veniale contra tale præceptum esse queat.

Sed à theoria ad praxim deueniamus, vt sic possimus melius percipere, quæ sit in rebus præceptis, præsertim à superiore Regularium, hęc materię grauitas. Et primo quæramus, an in præcepto de non ludendo ad aleas reperiatur huiusmodi materię grauitas: Quæstio hæc est tam clara, vt nullą probatione indigere videatur. Nam ludus ętiam sęcularibus clericis adeo

est

134. est interdictus, vt per *Canon. Cleric. 2. de vit. & honest. Cleric.* nec eius spectatores ipsi esse possint, Non ergo licet clericis ad aleas vel ad taxillos ludere, vt per COMITOL. *Respons. Moral. lib.* 1. *q.* 90. probatur; qui probare nullo modo potest interpretatio-
135. nem c. 1. dist. 35. fabricatã à SYLV. v. *ludus num.* 10. cum scripsit; Prædicta intellige de ludente cum peccato mortali; secus de ludente licite, aut cum peccato veniali, puta ex recreatione quid modicum; magis enim restrictè, & cautè, ait ipse COMITOLVS, dicendum erat, hunc ludũ sc. de quo agitur, cum sit tot scelerum seminarium, cum notam vrat infamiæ, cum sit tum diuina, tum ecclesiastica, tum etiam ciuili lege damnatus, à clericis sine graui culpa vsurpari non posse; veniam tamen quamdam mereri alicuius circumstantiæ accessione, quæ facit, vt, aut peccatum tantum sit leue, aut etiam nullum.
136. BARBOSA *In suis Collectaneis Doct. super rubr. & cap. De vita, & honest. Cleric. Tit.* 1. refert Doctores asserentes clericis non licere ludere ad aleas, seu taxillos. FARINACIVS *in praxi crimin. p. 3. quæst.* 109. *num.* 92 addit, quod supradicti ludi sunt pro-
137. hibiti clericis de præcepto, non autem de consilio, vt aliqui voluerunt. Et *Carol. de Grassis de effectib. Clericalib. effectu* 22.
138. late de hac materia agit; vbi *num.* 13. *& seqq.* refert diuersas pœnas, quibus clerici lusores plectuntur. Prima est, vt nõ possint obtinere beneficia ecclesiastica, in tantum quod si illis conferantur, collatio sit nulla. Secunda pœna de iure ciuili introducta, quo iure clericus lusor, aut ludi inspector per triennium est detrudendus in Monasterium, & per eumdem tempus à diuinis suspenditur, & si pœnituit, poterit tamen ante triennium ad pristinum statum restitui. Tertia pæna clerici ludẽtis est, vt incidat in peccatum mortale. Quarta pæna est, & est imposita iure canonico, vt Episcopus, Præsbiter, vel Diaconus in ludo alearum perseuerantes deponantur; Subdiaconus, ac minoribus ordinibus insigniti sint excommunicandi. Sed hodie, vt ait idem *Carol.* verior opinio, & magis practicabilis est; vt pęna clerici ludentis sit pæna extraordinaria, arbitrio iudicis imponenda. Interim aduertendum
139. est, CONCILIVM TRID. *sess.* 22. *cap.* 1. *de Reform.* præcipere seruari iura antiqua super ludo, & luxu clericorum, à summis Pontificibus, & Concilijs statuta.

140. Hæc omnia allegata multo magis procedunt,& locum habent in omnibus religiosis,ac regularibus, qui non possunt ludere, etiam ludo alias licito,& honesto clericis,nec cum alijs,nec in-
141. ter se; quia cum sint mortui quoad mundum, & debeant stare in Monasterio soli,& tristes,non debent se ludis immiscere,ex quibus vt plurimũ deueniunt multa mala,vt infra videbimus. Hanc assertionem ex multis Doctoribus probat idem CAROL. *num.* 23. RODERIC. *quæst. Regul. Tom. 2. quæst.* 38. *art.* 2. *ex* CYNO,
142. & BALDO asserit, Iudices Regularium debere sentẽtiam arbitrariam ferre contra lusores fratres iuxta qualitatem delicti;
143. aduertentes, quod debent fratres puniri, etiamsi non ludant, dummodo sint participes; nã si statuta pœna ludenti imponatur, eadem ludi participes mulctandi sunt. Nam iurans non ludere, & dans alteri pecuniam, vt suo nomine ludat, à periurio minime excusatur, vt ex FVLGOSIO concludit idem RODERICVS.

Adde,quod Religiosus, cum non habeat vllum dominium, vt apud
144. oẽs est certissimum, non potest pecuniam ludo exponere,& si exponit,grauiter peccat, & qui illã lucratur, tenetur eam Monasterio restituere. Quod adeo verum est, vt etiam si ipse religiosus licentiam habeat ad certam quantitatem donandam,
145. non possit in ludo dictam perdere quantitatem, & sic qui eam fuerit lucratus, Monasterio restituere teneatur. Neque obstat, vt scribit idem RODERIC. *supra art.* 3. quod illi facta fuerit facultas ad dictam donationem;non enim credendum est Prælatos obseruantię regularis maximè relatores licentiam suis subditis velle concedere,vt ludendo huiusmodi faciant alienationes,quæ eorum statui maxime contrariantur.

Notandum tamen est,Regularẽ ex legitima facultate extra Conuentum versantem, posse ex ijs, quæ sibi administrantur ad con-
146. gruam sui sustentationem,aliqua sibi subtrahere,parce viuendo, & ea exponere ludo, dummodo sit honestus, & qui deceat huiusmodi regularem;tunc enim videtur subesse tacita Prelati voluntas. Sed quando à Prælato religionis ludus alearum subditis in virtute sanctæ obedientiæ prohibetur, non potest in hoc casu vllo pacto subesse Prælati prædicta tacita voluntas, cum contrarium constet de expressa ipsius voluntate. Diximus, quando ludus est honestus, quia si ludus est omnino prohi-

prohibitus regularibus, qualis est ludus aleæ, in hoc non potest esse tacita, vel præsumpta voluntas Prælati, non enim vt ait AZOR. 3. p. lib. 5. cap. 25. quæst. 8. rationabile est præsumere, vt Prælatus consentiat in eo, quod est contra ius commune, aut contra constitutiones religionis.

Sed quid mirum, quod ludus aleę prohibeatur regularibus, cum prohibeatur etiam clericis secularib. vti vidimus, & insuper etiam
147. laicis, ad cauenda mala, quæ frequenter solent contigere? ludo aleę significatur ludus, qui principaliter nititur sorte, aut casu, quam industria, aut arte, qualis est ludus chartarum, & taxillorum cuiuscumque generis; excipitur tamen ludus tabularum super tabulam, vulgo *à Sbaraino*. A fortiori excipi debet ludus
148. scachiæ, vulgo *à Scacchi*, in quo potius ingenij dexteritas, quã fortunæ casus cernitur; vnde nec clericis interdictus est, iuxta INNOC. *cap. lator. de homicid. Panorm. c. clericis, de vita, & honest. cleric. & alios.* Non me late BART. *in proœm. Digest. §. illud vero*, scripsisse, hoc genus ludi maxime prohibitum esse litterarum studiosis; quibus ipsis alius quidam Doctor ait esse pestilentem; eos enim quasi ebrios reddit, multasque temporis partes iisdem suffuratur. Sed huiusmodi opinionẽ prorsus explodit, tum auctoritate, tũ ratione adhibita COMITOLVS *supra à q. 91.*
149. Ex ludo plura inconuenientia nascuntur, quæ recenset ARCHID. *in c. episcopus, n. 12. 35. dist.* Primum, desiderium lucrandi, & sic est cupiditas, quæ est radix omnium malorum. Secundum est voluntas spoliandi proximum, & sic rapina. Tertium, vsura quoque consideratur. Quartum, multiplicata mendacia, & verba obscæna, otiosa, & vana. Quintum, blasphemiæ, & ita hæresis. Sextum, corruptio maxima plurimorum, qui ad ludum videndum, & concupiscendum conueniunt. Septimum, bonorum. Octauum, contemptus prohibitionis sanctæ matris Ecclesiæ. Nonum, amissio tẽporis, & facultatis. Vnde P. RIBADAN. *in vita B. P. Francisci de Boria c. 5.* dicit, in ludo tria pretiosa amitti, tempus sc. pecuniam, & deuotionem, & sæpius conscientiam. D. ANTONIN. 2. p. tit. 1. c. 23. §. 6. Quot enim, inquit, in taxillis sunt puncta (sunt enim viginti, & vnum) tot scelera ex eis procedũt, vnum grauius altero. & non mirum, si vituperantur à Deo, & toto mundo; illa quæ viginti, & vnum scelera ordine persequitur. Ex his omnibus igitur patet, an Prælatus

possit præcipere in virtute sanctæ obedientiæ suis subditis, ne ad aleas ludere audeant, & inobedientes ad lethalem culpam obligare.

150. Limitarem tamen libenter, & dicerem cum Bonacina *De contract. Disput.* 2 *quæst.* 1. *pun.* 1. *n.* 12. Et Religiosos aliquando licite ludere posse, etiam talis, & chartis lusorijs ob honestam causam, modo non violent aliquam legem obligantem ad mortale. Sed quia tales limitationes non ita passim, & indistinctè sunt veræ, sed intelligendæ sunt cum grano salis, & cum certo temperamento, & regula, ac cum certis sublimitationibus, ideo me ab huiusmodi limitationibus abstineo.

Aduertam potius, dictum esse supra, modo non violent aliquam le-
151. gem obligantem, &c. quia tunc non posset religiosus licitè ludere. Violant vtique legem &c. si contra strictam obedientiam superioris ludere auderet. Potest enim, immo debet superior
152. prohibere suis subditis in virtute sanctæ obedientiæ, & per consequens sub pæna peccati lethalis, ne ludant cum laicis, cum feminis, nec diebus festiuis, vel quadragesimæ. Posset etiam
153. omnino interdicere ipsis ludum ratione alicuius circumstantiæ, & priuās eos libertate exponendi nec minimam pecuniæ quantitatem ludo.

Secundo quæramus, an in præcepto Superioris Regularium præ-
154. cipientis subditis, ne habitus quoscunque molles, & pretiosos induant, neque anulos in digitis deferant, inueniatur materiæ grauitas, ita vt eius præceptum obliget ad mortalem culpam
155. transgressores. Extat mandatū *in Regula Augustini, Non sit notabilis habitus vester, nec affectetis vestibus placere, sed moribus.* Hic SERVATIVS *in optica Regularium speculo* 65. sic scribit, contra præcedens mandatum peccant mortaliter tam Prælati,
156. quam Religiosi simplices, qui vestibus notabiliter prætiosis, vel in pusillorum scandalum, vel in malum finem, vel cum notabili Monasterij detrimento vtuntur: Peccant, inquit, mortaliter, Primo, quia notabiliter habent superflua, quod est mortale ei, qui paupertatis votum fecit. Secundo, quia sunt tenellis scandalum, cum vident eum, qui paupertatem monasticam amplexatus est, liberè mollibus, & pretiosis, non minus, quam Aulicos indui. Addamus nos, liberè mollibus, & pretiosis, non minus quam amasios indui. *Clem. Ne in agro, de statu Monach.*

prohibet Monachis, ne ferant sendatum, per quod *Glos. ibi*, omne sericum vult intelligi. Dictum est, *notabiliter*, quia si vestes excedant tãtum in modico, vt galerus holoserico ornatus, vel vestis oblonga habeat ornamenta anteriora ex holoserico, non est peccatum, nisi fortassis venialie. Non enim talia ornamenta sunt sufficientia ad generandum scandalum.

157. Ornatus exterior in Religioso signum est vanitatis, vel impuritatis, B. LAVRENTIVS IVSTIN. *in lib. de ligno vitæ cap. 5. sicut continens*, ait, *ac pudicus vilibus induitur vestimentis, vt se oculis diuinæ Maiestatis exibeat mundum, ita impudicus, ac incontinens, vt videatur magnificus, satagit vestiri pretiosioribus, ac mollib.* Idem in genere loquens docet CLEM. ALEX. *quemadmodum*, inquit, *signa, quæ ad causas proxime accedunt, si adsint, ipsum rei effectum significant, vel potius indicant; vt fumus ignem, bonus color, bonusq; pulsus sanitatem; ita amictus noster indicat, qualis sit morum nostrorum constitutio.* D. vero GREGORIVS suam hac de re sententiam explicat his verbis. *Quod pro sola inani gloria vestimentum pretiosius quæritur, res ipsa testatur, quia nemo vult ibi pretiosis vestibus indui, vbi ab alijs non potest videri.*

Tria sunt, teste sapiente *Eccl. 19.* quæ hominis interiora produnt. *A-*

158. *mictus corporis, & risus dentium, & incessus hominis enuntiant de illo.* & sane è tribus hisce argumentis exterioribus de interno homine diiudicare possumus, & præsertim de Sacerdotibus, vt in suo de Regali sacerdotio lib. 2. cap. 17. probat BESSÆVS, ac maximè è vestitu; si enim is modestus sit, quam primum de illius virtute diiudicare licet; si vero dissolutus, & lascivius, mundanæ, & improbæ vitæ esse dignoscitur.

159. *Quid existis in desertum videre*, ait in Ioannem Baptistam præconia regerendo Dominus, *hominem mollibus vestitum?* nequaquam; *illi qui mollibus vestiuntur in domibus Regum sunt.* Egregia hac filij Dei sententia ornamenti superfluitas, & pretium reprehenditur; è qua etiam discimus, aulicorum, & purpuratorum esse egregias, pretiosas, mollesque vestes consectari, non vero sanctorum Monachorum. Prima vestis, quam Deus protoplasto parauit, fuit è mortuorum animalium pellibus, non vero è serico, & byssino auro intertexto, *Fecit quoque Deus Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos.* Quo denotare voluit, sapiẽtis esse, & in primis Religiosi, non alias vestes, quam

luctus,

luctus, & mortificationis gestare debere, atque illos vero à Deo vestiri, & ornari qui tales sibi vestes parant.

161. Ex his omnibus igitur clare constat, materiam hanc, de vestimentis sc. inhonestis Religiosorum, esse grauem, & consequẽter peccati mortalis capacem. Quæ sententia multo magis vera est, si Religiosus serico vestimento, ac ornamento non contentus, aurea etiam, seu argentea exquirat. Certe de his dici potest, & verius, quod de luxu vestium, & ornatu mulierum
162. dicebat CYPRIANVS, *serico, & purpura indutas Christum induere non posse; auro, & margaritis, & monilibus adornatas, ornamentũ*
163. *cordis, & pectoris perdidisse.* Religiosus, qui nimium sese ornat exterius, esto sit castissimus, non caret tamen impudicitiæ suspicione. Testis est Claudia Vestalis, quæ, vt *canit Ouid.* 4. *Fastor.*

164. *Casta quidem, sed non est credita; rumor iniquus*
Læserat, & falsi criminis acta rea est.
Cultos, & ornatos varie fudisse capillos
Obfuit, ad rigidos linguaque prompta fuit.

165. Tãdẽ de pretiositate vestiũ dicit GLOS. *super illud Luc* 16. *qui induebatur purpura, & bysso. Si cultus pretiosarum vestium culpa non esset, sermo Dei non tam vigilanter exprimeret, quod diues purpura, & bysso indutus apud inferos torqueretur.*

166. Sed obiter quæramus, quid de Monialibus dicendum sit, An sese licite ornare possint. Ad quam quæstionem sic respõdet HOMOBONVS *in suis cons. resolut. Tom.* 1. *Tract.* 6. *quæst.* 31. si mala absit intentio, à mortali eas culpa excusari, etiam si notabiliter modum excedant, si hoc faciant solum ob vanitatem, pulchritudinem, & corporis elegantiam ostentando. Sed ego non video quomodo hæc sentẽtia, sic vniuersaliter prolata, stare possit, cum videam à Patribus mulierum etiam secularium ornamenta tot rationibus impugnari. Legatur TERTVLLIANVS præcipue *in insigni illo suo de cultu feminarũ;* Vbi decẽ rationibus deterret à luxu vestium, & tandem sic exhortatur. *Prodite vos iam medicamentis, & ornamentis extructæ Apostolorum, sumentes de simplicitate candorem, de pudicitia ruborem, depictæ oculos verecundia, & spiritus taciturnitate inserentes in aures sermonem Dei, annectentes ceruicibus iugum Christi, caput maritis subijcite, & satis ornatæ eritis. Manus lanis occupate, pedes domi figite, &*

plusquam

plusquam in auro placebunt. Vestite vos serico probitatis, byssino sanctitatis, purpura pudicitiæ. Taliter pigmentatæ Deus habebitis amatorem.

Tertullianum sequitur CYPRIANVS *lib. de disciplina, & habitu Virginum*, ait enim *Ceterum si tu te sumptuosius comas, & per publicum notabiliter incedas, oculos in te iuuentutis illicias, suspiria adolescentium post te trahas, concupiscendi libidinem nutrias, sperandi fomenta succendas, vt si ipsa non pereas, alios tamen perdas, & velut gladium te, & venenum videntibus præbeas, excusari non potes quasi casta sis, & pudica. Redarguit te cultus improbus, & impudicus ornatus, nec computari iam potes inter puellas, & virgines Christi, quæ sic viuis, vt possis adamari.* Quam vero luxus hic, & ornatus tum alibi, tum præsertim in templo dedeceat, docet *in 1. Cor. 2. Chrys.* & ex eo THEOPHIL. *An saltatura*, inquit, *ad Ecclesias pergis? Nunquid hic nuptias, & lasciuiæ oblectamenta conquiris? num vt tui spectaculum præbeas aduenisti? num tibi nunc instruendus est thalamus? num iste supplicis est habitus; accessisti vt Deum pro peccatis tuis depreceris, vt cum gemitu, & lachrymis veniam petas: quid te ipsam ornare improbo, & intempestiuo studio contendis?*

167. Si igitur hæc de sæcularibus mulieribus sanctus Doctor, quid de Monialibus dixisset credendum est, quæ semper in loco sacro morantur? Credo certè, quod dixisset de his, quod B. Tho-

168. mam Morum cuidam puellæ, quæ cum multo labore, & dolore crines complicabat, vt frons latior esset, pectusque & tunicam constringebat, vt gracili esset corpore, dixisse fertur, nisi Deus pro hoc tuo labore tibi infernum redeat, magnam profe-

169. cto tibi faciet iniuriam. Quare hortandi sunt Monialium Confessarij, vt supra hoc particulare matura vtantur reflexione, antequam absolutionis beneficium monialibus sic se exornantibus impertiantur; Inuenient enim sæpe re ipsa, quod latet

170. anguis in herba. Tandem concludamus, certam esse illam *D. Bernardi* sententiam, *Apolog. ad Guil. Quod non tanto curaretur corporis cultus, nisi prius neglecta fuisset mens virtutibus* SCAR-

171. DEONIVS *in suis de castitate lib. 1. cap. 10.* multis probat, quam male conueniat nimius corporis cultus velatis virginibus. Nimius enim hic vestiendi cultus, inquit ille, comptusque corporis, lenociniaque fucorum sunt sanè manifesta animi latentis indicia; & quæ sine quæstionibus re non verbo, cordis arcanum

verissi-

verissimè fateantur. Virgo quidem non tantum nomine, sed & re ipsa esse debet, ac etiam videri, & credi; vt cum quis eam viderit, non statim dubitet ex aspectu integra ne sit, an corrupta. Deponant ergo castæ, & honestæ virgines mores, habitumque incestarum, & lupanarium insignia, vt hortatur idem Scardeonius, & prostitutarũ ornamenta prorsus abijciãt; ne quod profitētur odisse, cultu ipso corporis amare videantur. Asserit aũt S. CYPRIANVS, Virgines, quæ sese eiusmodi artibus cõpserint inter virgines non esse connumerandas, sed tanquam contactas oues, & morbidas pecudes à sancto, & puro grege virginum, procul arcendas, ne contagio suo ceteras polluant. Sed de hoc alias, Deo bene adiuuante.

172. Ioannes Andreas, vt refert Orphæus de Cancellarijs infra citandus, proponit hanc quæstionem, Pone, ait, quod Episcopus, vel Superior statuerit, ne aliqua mulier vteretur ornamentis fucati coloris, siue auri, vel argenti, vel gemmarum vltra certam quantitatem, seu longis vestibus vltra certam mensuram, & contrafacientes excommunicasset; Quæritur, si maritus nollet, quod mulier obediret illi statuto, nec illi excommunicatiori, an mulier obediendo marito esset excommunicata? Et respondet, quod quoad fucos, tenetur obedire statuto, & non marito; sed quoad vestes debet habere voluntatem mulier obediendi Episcopo, sed quoad effectum debet obedire marito, cuius obedientiæ est immediate, & principaliter astricta; contra cuius viri voluntatem tale statutum in his eam obligare non potuit, vt apte probatur *in cap. quod Deo pais; & in hæc imago; & c. manifestum. 33. q. 5.* IOAN. AND. *sequitur Pe. de Ancha. in Repet. c. Canonum statuta de constit.*

173. *Frater* tamen ORPHEVS DE CANCELLARIIS *in suo Tractatu de ornatu mulierum*, in quo & sanctorum Patrum testimonijs, & Theologorum, Canonistarum, & Iuristarum fundamentis, nec non Philosophorum, oratorum, Poetarum, Historicorum sententijs, & exemplis, multi in præsenti materia deteguntur errores; *art 3. conclus.* 4. credit oppositum esse verum, salua reuerentia tanti viri, & hoc, dummodo statutum sit rationabile. Mouetur, quia ratione peccati Episcopus potest iubere etiam vxori contra voluntatem mariti, siue res prohibita sit in se peccatum, siue inductiua ad peccatum, ita cõcludit etiam ibi ipse

Ioan.

Ioan. And. Nam illud licite prohibetur, quod eſt peccatum, vel ad peccatum inductiuum, *c. vt in clericorum, de vita, & honeſt. Cleric.* faciunt dicta per *Abb. in c. fi. de conſuet.* de conſuetudine inducente ad pronitatem peccandi. Item, quia ex quo licite prohibetur peccatum, licite etiam prohibentur omnia, per quę peruenitur ad illud, *l. oratio de ſponſa. & c. cum quid de reg. iur. in 6.* Sed ita eſt, quod per ornatum ſumptuoſum mulierum innumera peccata committuntur, vt latiſſime probat *ipſe Orphæus*; ergo Epiſcopus poteſt iuſte prohibere, ergo eſt illi obediendum. Hinc inferre licet, multo magis poſſe Prælatum Regularem hæc omnia præſtare cum ſuis ſubditis, cum Epiſcopus eadem iure præſtet cum mulieribus, quæ magis videntur iuris ſuis in hoc particulari ſubditæ, quam Epiſcopo.

Quæ omnia applicata caſui, de quo modo quærimus, clarum, & manifeſtum faciunt, quod Abbatiſſa ſuas Moniales, & Prælatus
174. Religioſorum ſuos fratres, præcipiendo eis in virtute ſanctæ obedientię, ne mollibus, & pretioſis induātur, poſſe, & velle ad lethalem culpam obligare. Addamus, hoc multo magis ſequi, quando perſonæ religioſæ habitū occultarent religioſum, quia tunc etiam perinde excommunicationē incurrerēt, ac ſi illum demitterēt, vt late probat OLDRAD. *conſ.* 184. quem & alij communiter ſequuntur *poſt gloſ. in Clem. quoniam; de vita, & honeſt. Cleric.* Et hoc idem cum ROSELL. SYLV. & NAV. tenet NALDVS *in ſuis quæſt. pract. V. Habitus.*

SVAREZ vero *Tom. 4. de Releg. lib. 1. c. 5. n. 12.* occultationem habitus, nihil de proprio exeundo, ſed ſuper induendo, non eſſe mutationem ſufficientem ad peccatum mortale, & per conſequens ad excommunicationem incurrendam; ex vi materiæ aſſerit; Quia re vera non eſt dimiſſio habitus; neque etiam intrinſece eſt mendacium, vel quia occultare veritatem non ſemper eſt mendacium, vel quia veſtis aſſumpta non eſt principaliter ad ſignificandum, ſed ad alium vſum, propter quem accipi poteſt ſine mendacio, etiam ſi alij decipi permittantur. Præterea licet illa ſit ficta ſimulatio, quando ſine rationabili cauſa fit, nihilominus non videtur ex obiecto mendacium ita perniciosum, vt ſit peccatū mortale. Reſtat igitur vt iudicetur talis occultatio habitus ex fine; nam ſi à Religioſo animo fiat liberius vagandi, & ſecurius peccandi, proculdubio ipſe culpę

lethalis reus, & excommunicationis esset.

An vero religiosus mutando partem solum habitus, peccet mortaliter, & maneat excommunicatione innodatus. idem SVAREZ *nu.* 11. dicit, tunc ipsum religiosum peccare mortaliter, & excommunicationem incurrere, quando ipse habitum religiosum ita ex parte minuit, vt ex reliquo cognosci non possit, an ipse persona religiosa sit, nec ne. Iam enim illa materia grauis est, & per consequens sufficiens ad peccatum mortale, quia in ea consumatur transgressio legis, & quoad materiam, & quoad finem eius. De illo autem religioso qui assumit partem alterius habitus, quæ proprium non occultat, dicit, quod peccare quidem posset contra decentiam religiosam, vel contra canones prohibentes clericis, vel Monachis laicum, vel indecentem vestitum, non tamen contra obligationem non dimittendi habitum. Aduertendum tamen, id sequi, vt ait idem SVAREZ, dummodo pars habitus, quæ retinetur, exterius appareat, & sit sufficiens signum proprij status; quia non satis est, quod sit signum religiosi status in communi; quia religiosus tenetur deferre peculiarem habitum suæ religionis, vt ex *Nauar.* concludit idem SVAREZ. Quod notandum est à quibusdam Religiosis, qui mantellis coloratis, aut nigris manicis se induentes, non possunt ex dictis discerni à professis alterius Religionis.

176. BART. *citatus ab Orphæo vbi supra*, scribit, talē quē præsumi, qualem habitus eum indicat Ideo *Menochius de præsumpt. lib.* 6 *præs.* 76. *nu.* 12. *& seq.* dicit à pœna excommunicationis excusari il-

177. lum, qui percussit clericum repertum in habitu laicali; Virginē

178. repertā in habitu meretricio præsumi meretricē; & ob id qui eam corrupit, non punitur pœna stupri, vel alia pœna, qua solet puniri ille, qui iniuriam Virgini infert. Huc facit *text. in l. si ignoramus ff. locati*, cum dixit Iurisconsult. non contempsit disciplinam, qui ignorauit militem; & quod scripsit ALBER. *in tract. statuto, p.* 1. *quæst* 43. cum dixit, excusari eum, qui

179. familiam Prætoris incedentem sine insignijs, verberauit: Ita etiam, ait ALBERICVS, excusatur contendens cum Rectore Gymnasii, quando caret insignijs. Confert etiam, vt

180. scribit idem MENOCHIVS *num.* 17. quod repertus in habitu laicali, vel clericali, tempore commissi delicti, talis habendus est,

vt remittatur, vel non remittatur iudici Eccleſiaſtico.

181. Ex dictis colligi poteſt ēt grauitas materiæ præcepti contra Religioſos coronam non deferentes. Nam ſine hac vix cognoſci poteſt, an illa perſona ſit religioſa, nec ne. Scio fidei chri-

182. ſtianæ extorres, & profugos miris Siccophantijs deridere nos, quod hanc clericalem tonſuram, & à Trullana ſynodo, Κουρὰν ἱερατικὴν, nominatam, credamus in noſtra Eccleſiaſtica dignitate, non carere præclaro myſterio; nec ſolum propter orbicularem

183. formam omnium perfectiſſimam, verum etiam in memoriā, ac ſymbolum eius coronę, quam crudeliſſimis modis pretioſo Saluatoris noſtri vertici impoſuerunt olim Iudæi, qui quod in ludibrium faciebant, hodie hæretici in noſtri contumeliam execrantur.

184. Verum qualis ſemper hæc fuerit tonſura ab initio ſacri cultus Eccleſię, & miniſtrorum inſtitutione, ex duobus non aſpernandæ auctoritatis Doctoribus licet intueri, altero græco, altero latino DIVVS enim GERMANVS *ad Liturgiam D. Chryſoſtomi* dicit, duplicem in Eccleſia tonſuram vſurpari, monachicam, eamq; latiorem, & alteram clericalem anguſtiorem, & illam quidem factam ad imitationē D. Iacobi Ieroſolymitani, qui monachicam vitam geſſit, cum eſſet Nazaræus, hanc autem ad Petri ſimilitudinem, qui Clericorum exemplar edidit in ſe luculentiſſimum. *Ipſe* enim SANCTVS GERMANVS ſcribit D. Petrum attonſum fuiſſe à Gentilibus ignominiæ cauſa, quod tum eſſet

185. conſuetudo mancipiorum, atque reorum, vt capillos ponerent. Princeps verò qui Eccleſiæ muneribus ſunt addicti, pia quadam imitatione in decus, & inſigne religionis id conuertiſſe, quod vile prius deſpicatumque fuit, cum honori ſibi ducerent atque gloriæ, cum Principe, & Coryphæo Apoſtolorum in numero mancipiorum, & famulorum Chriſti cenſeri.

186. ANICETVS PONTIFEX MAXIMVS rei myſterium clarius, & religioſius venerari voluit, vt patet *Epiſt. ad Epiſcopos Galliæ, Prohibete*, inquit, *fratres, per vniuerſas Regionum veſtrarum Eccleſias, vt clerici, qui laicis, & ſimplicibus, virtutis, honeſtatis, pudicitiæ, & grauitatis exempla eſſe debent, ac ſeipſos, tanquam ſignum purioris vitæ rudioribus ad imitationem prudenter exhibere, iuxta Apoſt. Tim. 4. comam non nutriant, ſed deſuper caput in modum Sphęrę radant.* Hanc conſtitutionem

G 2 Aniceti,

Aniceti, quæ iam ante mille annos lucem vidit, *Patres. Conc 4. Carthaginensis* non neglexerunt, eaque ratione, quia gratia impositione manuum concessa, quæ oculis exterioribus videri nequit, signo illo intuetur, & discrimen ordini conuenientissimum inter laicos, & Sacerdotes constituit hac apparenti tonsura in vertice capitis.

Sed vt curiosis hominibus satisfiat, quattuor omnino obiectionibus
187. respondeamus, sed breuiter, cum COTONO *in sua Instrutione Catholica lib. 4. cap. 19.* quæ fieri in hac controuersia possunt 1. est, quod in eo tonsu imitari Gentilitium mystas, & sacrificulos videamur. Sed non ideo reprehenduntur Ethnici, quod ea cærimonia, atque more vterentur, sed impius finis conuellitur, & exagitatur. 2. quod Ecclesia, & pietatis administri omnium ludibrio obijciantur, si ad sacros ordines nullus præter tonsos, vulsos, rasos, glabrosque aspiret. Sed id omne ad crucē Christi opprobriumque pertinet, atque ad improperium. Adde, quod hieroglyphica hac nota Clerici significare omnibus volunt, felicissimos arbitrari se se, quod diuinæ seruitutis indicia ferant. 3. Quod diserte id à Deo sit prohibitum *Leuit. 21.* sed causa ibidem opponitur *cap. 19.* quod nimium Iudæi in Ægypto à primis annis instituti, aut eorum liberi, qui in media barbarie, & væsano cultu idolorum vitam egissent, ad detestabile illud scelus magna animi propensione ferrentur. Hæ namque finitimæ nationes, & præsertim Syri, non alios sacerdotes ad rem diuinam adhibebant quam rasos. 4. quod D. HIERONYMVS *in com. Ezech. 4. & 3. Et 6. Isaiæ*, Et *Epiphanius hæresi* 80. quorum magna est in omnem partem auctoritas, improbare illam consuetudinem videantur. Sed HIERONYMVS tantum morem Ethnicorum repudiandum esse docet. Et EPIPHANIVS reprehendit solum comatulos, qui capillos in gradus formant, calamistris inurunt, variè discriminant. Quem morem etiam nos reprehendimus, & ab omnibus fidelibus, sed præcipue à clericis, & Religiosis repudiandum esse docemus. Et idem EPIPHANIVS ob eamdem hanc causam Mesopotamiæ Monachos exagitat, qui muliebres producerent comas, cum è contra laudet Ecclesiæ filios in tonsura reuerendos.

188. Peccat mortaliter clericus initiatus maioribus ordinibus, aut beneficium habens, non deferendo ad longum tempus tonsuram,

suram, prout resoluit ex multis Doct. BARBOSA *De potest. Episc. p. 2. Alleg. 9. num.* 11. Rationem affert *Bonacina De sacram. Disput. 8. quæst. vnica, pun. vlt. n. 2.* quia violat legem in materia graui; tum quia potest affici suspensione, vt habetur in *Trid. sess. 14. c. 6. de Reform.* Si ergo est materia grauis hæc in clericis sæcularibus, quanto magis erit in Regularibus?

Ex his sequitur à fortiori, quod de materia graui est præceptum cir-
189. ca clericos de non gestandis armis. Ratio est, tum quia arma non decent statum, & habitum clericalem, & multo minus monachalem. Tum quia vsus armorum clericis prohibetur, *cap. clerici; & Clem. prima de vita, & honest. Cleric.* Tum quia deferentes arma possunt excommunicari, vt ex FELINO, *& alijs* docet *Riccius in sua Praxi Decis.* 371. *nu.* 30. *Carolus de Grassis de effectib. Cleric. Effectu* 20 diuersas pænas affert clericorum defe-
190. rentium arma. Prima est, vt amittant gradum, & detrudantur in Monasterio. Secunda vt peccent mortaliter. Tertia, quod si post trinam monitionem se non correxerint, amittant omne priuilegium clericale. BONACINA *tract. de sacramentis Disput.* 8. *puncto vltimo ex Felino, & Riccio,* docet, hosce excommunicari. Immo testatur in sua Diocesi latam esse excommunicationem contra deferentes genus illud tormenti, quod vulgo sclopum appellamus. Ampliatur, procedens in clericis cuiuscumque ordinis, & etiam primæ tonsuræ, namque neque ipsi poterunt arma deferre. Habet etiam locum in Prælatis, ac in quacumque dignitate constitutis. Ampliatur in Monacis nigris, &
191. omnibus regularibus; & Monaci nigri sunt etiam excommunicati, si arma detineāt intra septa Monasterij absque licentia Abbatis. Sic idē CAROL. *ex mult. ex. & Doct.* Hæc excōmunicatio incurritur & ab alijs Regularibus, qui supradictorum Monachorum per participationem fauoribus, & priuilegijs gaudent. Quia *Clem. ne in agro, §. quia vero, de statu Mon.* in qua excommunicantur Monaci arma tenentes, vt supra, potest dici fauorabilis, quia quando agitur de euitando animarum peri-
192. culo, etiam in pænalibus, & odiosis admittitur extensio, PANORM. *in c. ex tenore, n. 6 qui filij sint legit. Crauet. de antiquit. tempor. par. 4. Sect. videamus, n.* 10. *Rot. Rom. in decis. diuers. vol. 2. dec. 529. n.* 10.

193. Quid vero tenendum sit de nocturna furtiuaque Religiosorum

rum

rum extra monasterium mora, & statione, id colligi potest ex *3. casu Decreti* S.D. N. CLEM. VIII. In quo reseruatur Regularium Superioribus nocturna è Monasterio, seu Conuentu ègressio, etiam non animo apostatandi facta. Super quem casum scribit Coriolanus, semper malam esse, & perniciosam quamlibet egressionem Religiosi à suo Cõuentu, quando ex vera obedientia, vel causa rationabili non est facta; quia impossibile est (vt ait Philosophus) quin visis non tangamur; vnde qui tetigit picem, ait Sapiens, inquinabitur ab ea; & multoties ille Religiosus, intra septa Monasterij laudabiliter viuit, extra illud vagans reuertitur, quasi semireligiosus. Semper igitur dam
194. nosa est egressio è Monasterio, quando debitis modis non fit; sed damnosissima est, quando egressio nocturno tempore fit; nam tunc, & in peccatum, & in casum reseruatum incidit. Immo tanti refert talis egressio, tali tempore facta, vt etiam si animum non habeat apostatandi, incidat nihilominus in hunc casum per solam egressionem nocturnam. Sic sonant verba textus Decreti, vti vidimus, à quibus non est recedendum.

Attamen non ideo assero, moram supradictam nocturnam extra Mo-
195. nasterium includi in casu reseruato egressionis è Monasterio nocturnæ, sed solum hinc inferre intendo, quod militat par ratio in prohibente hanc egressionem, & vetante illam moram, & stationem. Quod satis constat apud illos, qui se ipsos nolũt decipere. In Societate Iesu extat *Regula*, quæ est 47. *communiũ*;
196. in qua hæc duo præcepta simul iunguntur, vt omnes sc. ante noctem, qui foris sunt, se domum recipiant, nec egrediantur ante lucem, sine facultate Præpositi, vel Rectoris. Cum Patribus Societatis Clerici etiam Regulares S. Pauli in hac Regula conueniunt.

Quemadmodum infinita bona eueniunt Religioso in cõuentu commoranti, ita per cõtrarium quam plurima damna ei eueniunt,
197. si extra Monasterium reperiatur, & vagetur. Nam vt habetur in *c. placuit, 16. quæst. 1.* Monachus sine Monasterio est sicut piscis sine aqua. Est veluti illi, qui extra Arcam Noe fuerunt; omnes enim submersi sunt, & solummodo illi, qui cum Noe in Arca fuerunt salui facti sunt; vnde talibus conuenit id, quod dicit D. PETRVS, *Nisi manseritis in naui, omnes simul peribitis*. Talis Religiosus, qui vagatur extra Monasterium, est veluti Esau,

qui

qui cum extra domum vagaretur, primogenituram amisit. Est veluti Dina, quæ è domo egressa, vt videret mulieres regionis illius, violata fuit: Atque vtinam tales non experiantur in anima id, quod Dina experta fuit in corpore. Talis denique extra Monasterium est veluti ouis extra ouile, vnde subiacet periculis, & incursibus luporum, dęmonum, qui semper circumeunt, quærentes quem deuorent.

198. Clausuræ igitur Religiosorum requirit, ne vllus Regularis cuiuscumque ordinis, exeat Monasterium, vel septa, & limites ad id designatos, sine superioris licentia; neque cum illa, nisi iusta necessitate, vel vtilitate id suadente, vt efficaciter probatur in *d.c.placuit; & in c. Monachi 16. q 1*. Prælati igitur vt notat SERVATIVS *in sua optica Mandato 9*. quæ passim Religiosis suis faciunt facultatem vagandi per vrbes, vel campos, conuiuiorum nundinarum, nuptiarum, & similium causa, peccant mortaliter, vel venialiter, prout exponunt suos Religiosos periculo peccandi, & scandalum generandi sæcularibus. Quod peccent ipsi Prælati, quotiescumque hanc facultatem sine causa legiti-

199. ma faciunt, patet ex eo, quod disciplinæ claustrali, quæ vagare non permittit, non satisfaciunt; immo huiusmodi facultatibus passim factis labefactant, quod in Prælato mortale est, vt ex BANNES concludit idem SERVATIVS.

NIGRONVS *in suis Com. super Reg. com. suæ Societatis Reg. 43*. reuocat ad

200. tria capita damna, quæ ab exitu nimio Religiosorum extra Monasterium prodeunt, dicens, Vagatio hæc non necessaria, & immoderata, primum est animæ periculosa, nequid grauius dicatur; deinde bonæ existimationi vagi Religiosi damnosa; postremo præbet offensionem extraneis, qui tam sæpe vident ascetas per plateas, & vrbis compita discurrentes. Dixit primo

201. loco periculosam animæ, quia religiosus vagus in eadem se mundi pericula propemodum conijcit, vnde se in conuersione festinus proripuerat. Repetit enim quę deseruerat, reuisit, quæ fugerat; audit, & vidit, quæ nocuerunt aliquando; quæq; animum complent, vel cupiditatibus rerum humanarum, vel cogitationibus orantem turbaturis; vel obiectis rerum, quæ sopitos affectus exsuscitent. Qui per vrbes vagatur sensibus iterum mundum resorbet; qui si stomacho cogitationis tacitæ foueatur, tamquam venenum perimit eum, qui hauserat; si reuomatur

matur

maturin colloquio sodalium per loquacitatem, nocet auditoribus, totique Collegio, in quod mundus ipse refunditur.

202. Hoc periculum tribus similitudinibus ipse NIGRONVS explicat perspicuitatis gratia. Similitudine piscis extra aquam; Coralij, de quo PLINIVS à S. ISIDORO descriptus tradit, fruticem esse ramosum, colore viridem sub aqua marina, in qua nascitur baccas eius candidas, ac molles esse; sed exemptus confestim durare, ac rubescere, tactuque prorsus lapidescere. Et similitudine ægroti de nosocomio egredientis, quam ex SENECA *epist.* 7. accepit. Ego, inquit SENECA, *confiteor imbecillitatem meam, Nunquam mores, quos extuli, refero. Aliquid ex eo, quod composui, turbatur; aliquid ex his, quæ fugaui, redit. Quod ægris euenit, quos longa imbecillitas vsque eo affecit, vt numquam sine offensa proferantur, hoc accidit nobis; quorum animi ex longo morbo reficiuntur.*

203. Secundum damnum euagationis extra domum est detrimentum bonæ existimationis, & reuerentiæ apud extraneos, quæ perditur si se nimium det in eorum conspectum. Conuersatio enim sæcularium, vt ait idem NIGRONVS *Reg. 36 n. 11.* præsertim frequens, minuit in ipsis reuerentiam aduersus Religiosum, bonam existimationem, admirationem; tum satietatem inducit, & tandem parit contemptum. Cognita est philosophis hæc humanæ conuersationis vitiosa vis, & potestas. E græcis MAXIMVS TYRIVS *Serm. 29. Ea mentis humanæ impudentia est,* inquit ipse, *vt quę exposita sunt, minoris faciat; quæ abstrusa, vehementer admiretur.* E latinis *Apuleius l. de Deo Socr. Parit conuersatio,* ait, *contemptum; raritas conciliat ipsa rebus admirationem.* Hinc videas Reges, ne contemnantur à suis subditis, sed vt retineāt in illis reuerentiam, non facile se in populi conspectum dare L. SENECA etiam *lib. de trāq. an. c.* 15. sic de eadem re scribit, *Sunt qui fastidiant, quidquid proprius adierunt.* Non incognita magistris euangelicis S. HIERONYMVS *de Nepotiano Epist. 3. ad Heliod. Nec, vt in plerisque accidere solet, assiduitas familiaritatem, familiaritas contemptum illius fecerat.* S. BERNARDVS *in scala Claustr.* §. 7. *Vulgare prouerbium est,* inquit, *quod nimia familiaritas parit contemptum.* Cur autem id accidat, vt conuersatio nimia pa-
204. riat contemptum, significasse B. ANTIOCHIVM, & PETRVM DAMIANVM, testatur idem NIGRONVS, præclaris illis similitudinibus puellæ, & picturę; quas si proprius curiosius, ac diutius spe-

ctes,

ctes, vitia naturalia in illa deprehendes, in hac vero artis peccata, quæ latebant absentes, incuriosos præsentes, & curiosos in primo, ac breui congressu.

205. Tertium damnum est scandalum, siue, vt moderatius loquatur, offensio extraneorum. Notatum est id à Cõgregatione S. Pauli, quæ proinde monet Collegij Præpositum his verbis, *Domò exire neminem permittat sine iusta causa; prouideatque ne detur extraneis admirationis, aut etiam scandali occasio, qui nimis frequentes nostros videat per vicos, & plateas.* Obseruatum quoque est proximis annis ab Ordine Prædicatorum, qui vt incommodis, & scandalis occurreret, multa constituit. Et vere, mortuos exire de sepulchris, aut de feretris semper admirationem, atque

206. horrorem incussit spectatoribus. Mortuus est Religiosus mundo, qui mundanis rebus nuntium remisit, in cella, seu Monasterio degit, tamquam in loculo, aut sepulchro. Quid ni mirentur, & offendantur cum horrore sæculares, videntes mortuum egressum de sepultura per plateas procedere; & quod est reprehensibilius loqui, ridere, contenta voce disputare, iactare manus, se turbæ virorum feminarumque promiscue inferre, tum quod est grauissimum per alienas domos circumcursare?

207. Hanc ob causam CLEM. VIII. in Reformatione Monachorum Cælestinorum hoc Decretum edidit. *Nullus Monasterio egredi audeat, nisi ex causa, & cum socio, licentiaque singulis vicibus impetrata, ac benedictione accepta à Superiore; qui non aliter eam concedat, nisi causa probata; sociumque exituro adiungat, non petentis rogatu, sed arbitrio suo; neque eumdem sæpius. Licentiæ vero generales nulli omnino concedantur.* Sed & Religiosorum omnium Cœnobitarum Antesignani, vel edita lege, vel more, qui vim legis obtinuit, introducto cauerunt, ne sui alumni, ac milites spirituales extra domicilium ordinarium soli, atque incomitati procederent.

208. Prælati, qui Religiosos ad peragenda Monasterij negotia solos egredi patiuntur, sine iusta causa, peccant mortaliter, vel venialiter, prout suos magno, vel paruo peccandi periculo exponunt; nisi tales sint, qui soli exeunt, vt inde nullum eis periculum, vel alijs scanda-

lum immineat. *S.* AVGVSTINVS *in Regula, Mandato* 9. sic præcipit, vt testatur SERVATIVS *Spec. vigesimosexto. Si opus,* inquiens, *fuerit, ad aliquam necessitatem Monasterij mitti, duo eant.* Religiosi etiam, qui procurant, vt soli egrediantur, peccant vt minimum venialiter, quia hoc mandatum Regulæ infringunt. Peccant vero mortaliter, quando ob finem mortaliter malum procurant illum egressum. VMBERTVS *cap.* 72. *in eamdem Regulam Sancti Augustini,* suadens hanc fratrum combinationem, apposite figura veteris testamenti rem
210. declarat, dicens, oportere Religiosos associatos esse, veluti duos Cherubim in tabernaculo, qui ex vtraque parte oraculi, versis vultibus in Propitiatorium, se mutuo respiciebât.
211. Addit NIGRONVS similitudinem Solis, & Lunæ; nam luminis defectum patitur hæc, nisi se mutuò aspiciant; ita qui se à socio diuellit, aut alio amandat, denigrat famam suam, & bonam de se opinionem aliorum obscurat. S. Carolus Cardinalis, vt traditur à scriptoribus Vitæ, quamquam in resalutando numquam deerat officio suo, vir humilis, atque humanus, tamen obuios Religiosos sine socio minime resalutabat: quod haud honore dignos vllo duceret eos, in quibus maximam religionis, ac probitatis notam deesse videret.

Probat magnopere SERVATIVS *supra* consuetudinem Prælatorum sui Ordinis Præmonstratensis in Germania, & Bohemia, qui mandatum supradictum Sancti Augustini sic ob-
212. seruant, vt ne Religiosos quidem Beneficiarios in Parochijs solos manere patiantur. Nam præterquam quod sic se gerentes Regulæ satisfaciunt, insuper OEcumenica adimplent. Præcipitur enim in *Concilio Lateranensi sub Alexan-*
213. *dro* III. & ne soli Religiosi per villas, & oppida per quascumque parochiales ponantur ecclesias, &, ne soli inter sæculares homines spiritualium hostium conflictum expectent, quia periculum est, ne cum ceciderint, subleuantes se non reperiant. Idem habetur *extra. de capellis Monachorum, & Clement. ne in agro, de statu Monachorum, §. ad hæc, & extra. cap. quod Dei timorem, eodem titul.* Vbi etsi constituatur hoc discrimen inter Monachos, & Canonicos Regulares, quod illi strictiori, hi vero laxiori Regulæ subijciantur, præcipit tamen

214. tamen ibi INNOC. *III.* vt si commodè fieri poteſt, qui ex ipſis Canonibus Regularibus Beneficiorum adminiſtrationem habent, vnum Canonicum Regularem ſecum teneant, ad maiorem cautelam. Immo vero GRAFFIVS, citatus ab ipſo SERVATIO,
215. aſſerit, Sixtum V. Bullam condidiſſe, in qua ſub graui pæna prohibetur Religioſis, ne ſine ſocijs in Parochijs habitent.

Probatum igitur manet è cænobio nulli Aſcetæ pedem efferre licere, inſcio, aut inconſulto, multo minus repugnante Superiore Cæ-
216. nobij. Quod multo minus licebit adoleſcentibus religioſis, qui litteris dāt operam, qui proximis iuuandis minime vacant. Hi namque, vt ſcribit S. BASILIVS *ſerm.* 1. *de inſtit. Monac.* non debent è Monaſterio egredi, niſi vera, & vrgentiſſima cauſa coa-
217. cti. Cauſam vir ſanctiſſimus affert, dum ait, *Plerumque in adoleſcentum corporibus, tametſi ſummopere continentia colenda macerare ſe ſtudeant, neſcio quo modo ætati illi, naturalis coloris quaſi decor quidam effloreſcit, in quem qui inſpexerint; ij libidinum plerumque ſtimulis ſolent permoueri.* Poſtea hortatur eoſdem, vt ſe in cænobio contineant, quoad ætas defloreſcat.

Iure igitur Superiores Religioſorum ſolent prohibere his iuuenibus, non ſolum è Monaſterio egreſſum, ſed etiam in aliorum cellas
218. ingreſſum. Quorum præceptum obligat ad mortale, tam iuuenes ingredientes, quam alios Religioſos ingreſſum ipſis permittentes; dummodo ipſi Superiores id ſub pæna inobedientiæ, ad vitanda pericula, & ad regularem diſciplinam reſtituendam prohibeant. Neque enim negandum eſt, Superiorem poſſe id,
219. quod alioquin eſt veniale, ſub pæna inobedientiæ, vel peccati mortalis prohibere; quando videlicet aduertit per illum defectum veniale peccandi occaſionem exhiberi, aut violari paſſim Regulam, nec poſſe alia ratione reuocare Religioſum ad officium. Sic ex BANNES SERVATIVS *mand.* 10. *ſpec.* 28. qui etiam dicit non videre, quare Prælatus non poſſit adhibere illud remedium efficax, cum ipſe ſub pæna peccati mortalis teneatur peccatorum occaſionem tollere, & prouidere, vt regulæ obſeruentur; hinc concludens, quod poſſet Prælatus aliquando præcipere ſub mortali ſuis ſubditis, ne comederent, vel biberent in Monaſterio extra refectionem. Sic BONACIN. *de legibus Diſput.* 1. *q.* 1. *pun.* 7. §. 4. *n.* 21. *cum* REGINALDO, VALENT. SALAS,
220. & SANCH. tenet, Prælatum poſſe aliquando ſub mortali præ-

cipere silentium, si ratione alicuius circumstantiæ iudicauerit
silentium esse necessarium.

Præceptum supradictum prohibens ingressum in aliorum cellas, li-
221. cet imperitis vitæ perfectioris pro nihilo habeatur, tamen rem
acute introspicientibus existimatur bonam religiosæ disciplinę
partem continere. Causam huius prohibitionis *frater. Minores
de obseru. in stat. gener. c. 2. de conuen. Nouit.* indicant his verbis:
*Religiosi decoris, & sanctę honestatis studiosius, & accuratius ser-
uandæ gratia, statuimus, vt Nouitij professorum, ne ve professi no-
uitiorum cellas quouis prætextu, vel quæsito colore ingrediantur.*
222. Eodem spectant, qui grauissimam putant hanc transgressio-
nem nocturno tempore; vt *Eremitani*, qui pænam duplicant; vt
Congregatio S. Georgij in Alga c. 64. quæ cùm interdiu Sacerdoti-
bus, & prouectioribus ob aliquas causas permittit ingredi alie-
na cubicula, declarat nemini noctu licere, grauibusque pænis
interdicit. *Cart. p. 2. stat. c.* 14. *n.* 4. addunt; & iubent tamdiu ia-
nuam esse apertã, quamdiu fuerint vna, & cubiculi habitator,
& qui ad eum est ingressus. Idem constituerunt *Casinenses in c.
22. Reg. §. 3. Monachi Cælestini Montis Oliueti. Prædicatores in re-
formatione Trinacriæ; Minores de obseru. Congregatio S. Georgij in Al-*
223. *ga;* & *ordo Clericorum Reg. S. Pauli in Enchir. p. 2. c.* 14. Causam
tã salutaris legis omnes reliquũt prudenti lectori cogitandam.
Idem iubet *Reg. 33. communium Societatis Iesu.* P. Claudius Ge-
neralis, vt testatur Nigronvs *super dictam Regulam*, id magis
explicans Prouinciæ Aragoniæ an. 1587. rescripsit. Non satis
224. est ita esse clausam, vt possit extrinsecus aperiri, sed debet esse
patens, saltem aliquantum, ita vt non sit omnino clausa.

Hieronymvs Llamas *Hispanus ordinis Cisterciensis in suo Methodo Cu-*
225. *rationis animarum p. 1. c. 7. §. 13.* tradit, in ordine suo in Hispania
casum esse reseruatum ingressum in cellam alienam, sine Ab-
batis licentia, licet sit veniale; quia, inquit, Religio longa expe-
rientia nouit, hunc ingressum ex adiunctis vergere in magnum
damnum Religionis, & solemnium votorum rupturam. Ex hoc
sibi persuasum esse scribit Nigronvs *loc. cit. num. 3.* quod à fi-
226. de digno accepit, hunc eundem casum reseruatum esse in Mo-
nasterio mulierum à S. Francisca Romana instituto. Hæc reser-
uatio nititur solido fundamento doctrinæ communis Theolo-
gorum, quæ refertur, explicatur, ac roboratur nouissime om-

nium à SANCHEZ *l. 1. de præcept. c. 4. n. 5.* docente, sæpe contingere, vt materia præcepti secundum se leuis sit, & incapax obligationis, quæ peccatum mortiferum inducat violatori; sed ex adiunctis communis boni circumstantijs, quas superior animo præuidit, & comprehendit, grauis fiat, & cadat sub obligationem mortiferæ culpæ. Tales sunt ratio vitandi scandali, etiam si illud ex se mortiferum non esset; ratio iacturæ communis boni Religionis, periculum, etiam non proximum; transgressio votorum. Quin etiã infert ex VALENTIA *t. 2. disput. 7. q. 5. pun 6. §. 3.* Nonnullos decipi, existimãtes non obligare præceptum Prælati sub mortali de seruando silentio, vt etiam nos supra diximus, hoc, aut illo tempore, aut de illo efficiẽdo, quod ex se non magni momenti appareat; quia fieri potest, vt circumstantia aliqua ei materiæ grauitatem addat. Atque in dubio, & quan-
228. do non constat iniustitia præcepti, non est spoliandus Superior sua possessione.

Constat namque in dubio semper esse præsumendum pro Superiore, & obediendum illi esse, quando alia non præponderant; si enim ex quolibet rationabili dubio posset subditus negare obedien-
229. tiã Superiori, sæpe eam negaret, eo quod Superior nec potest, nec tenetur semper rationes honestantes id, quod præcipit, subdito manifestare; & sic sequeretur magna inordinatio, & confusio in Communitatibus; & hoc sensu intelligendi sunt, qui dicunt, in dubio parendum esse Superiori, *August. cap. quid culpatur quæst. 1. Canonistæ cap. quæ in Ecclesiarum, de constit. præsertim* PANORM. FELIN. & TVRRECR. *cap. sententia, & cap. Dominus, 11. quæst. 3. & alij citati à* SALAS *de legibus Tract. 14. quæst. 90. n. 58.* Sed omnium diligentissime rem hanc tractat SYLV. *V.*
230. *Conscientia, V. Inquisitio, §. 3. V obedientia §. 4.* dum in his locis sic scribit, Primò, si subditus dubitat, an Prælatus iure præcipiat, eum teneri obedire. 1. quia in dubijs superior debet esse auctoritas Prælati. 2. quia subditus non est iudex ad definiendum, vtrum Prælatus iure præcipiat. 3. quia Prælatus, vt & supra diximus, nõ semper debet manifestare subdito, quare hoc, vel illud præcipiat. Secundo, ait SYLVESTER, si subditus ex leuibus causis credit, Prælatum contra ius præcipere, debet credu-
231. litatem deponere, & obedire. Hæc est regula generalis ex D. THOM. citato à SYLV. *d. v. obedientia*, quod quoties Religiosus

conue-

conuenienti inquisitione certus esse non potest, an quod Superior præcipit, sit malum, vel obligatorium, ratione professionis tenetur obedire; & excusatur ab omni peccato, etiam si obediendo agat contra aliquid alias prohibitum; dummodo tamen agat bona fide, & non agat contra ea, in quibus ignorantia non excusat, puta contra articulos fidei, præcepta Dei, & generale statutum Ecclesiæ.

232. Hæc obedientia præstanda est etiam Principibus infidelibus, etiam si dubium sit, an hoc, quod mandant, sit iniquum, vt tradit MAVDEN. *loc. cit.* exempli gratia (inquit *Hesselius in cap. 139. in Decalogum)* Ordo ille naturalis mortalium paci accommodatus hoc poscit, vt suscipiendi belli auctoritas, atque consilium penes Principem sit; exequendi autem iussa bellica ministerium milites debeant, pacique communi. Vir igitur iustus, constitutus etiam sub Rege sacrilego, potest, ac debet illo iubente bellare, ciuicæ pacis ordinem seruans; cui quod iubetur, vel non esse contra Dei præceptum certum est, vel vtrum sit, certum non est; ita vt fortasse reum Regem faciat iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo seruiendi.

233. An vero post Regulam *Decreti* CLEM. *VIII. De casibus reseruatis Regularibus* præscriptum, sit prædicta reseruatio casus ingressus in cellam alienam valida, respondendum ex CORIOLANO, *de casibus reseru. p.* 1. *Sect.* 1, *cap.* 4. *n.* 3. *&* 4. quod sic, quia licet reseruare casus alios à Decreto, pertinentes ad materiam eorumdem casuum, vt puta in materia lapsus carnis, reseruare tactus impudicos, oscula, litterulas, & munuscula &c. Sic enim fatetur SORBVS sibi declaratum fuisse ab eodem Papa legislatore. Vide in *Compend. Priuileg. Tit. Absolutio ordinaria, quo ad fratres; ibi, Capuccini annotatio.* Idem CORIOLANVS *ibidem art.* 5. *nu.* 10. ait, aliquando etiam venialia reseruari posse, maxime à Regularibus Prælatis, cum illa percrebescerent, & religiosam disciplinam eneruarent; vt est, sine causa, & frequenter silentium frangere, litteras inscio Superiore scribere, in cubiculum alterius regularis ingredi, & huiusmodi, quæ, vt experientia satis docet, ex vsu in magnum profectæ religionis detrimentum vergunt. Insuper *n. seq.* asserit, Prælatos Religionum teneri sub pœ-

234. na peccati mortalis corrigere talia peccata venialia, quæ cum in communitate frequentantur, maximum damnum Reipubli-

cæ, &

cæ, & toti cœtui afferre possunt; quandoquidem in religioso statu illud sapientis dictum maxime locum habet, *qui minima contemnit, paullatim decidet, Eccles.* 12. Nam sicut in humanis corporibus, qui paruis vulneribus suis medicinam adhibere negligunt, febres, ac putredines, atque adeo mortem quoque ipsam accersunt. Eodem modo in toto congregationis corpore, qui exigua parui pendunt, ad maiora inuitant, & ipsum totum corpus paullatim destruunt. Subscribunt huic sententiæ SOT. BANNES, LOPEZ, MEDINA, & SAYRUS citati ab ipso CORIOLANO.

De B. Aloysio Bertrando VITAE SCRIPTOR c. 4. *feria sexta in capitulo*
235. *(erat enim superior)* cum tanto rigore reprehendebat, & castigabat silentij violationem, somnum paullo longiorem, erratum in choro, & his similia minima, vt dies iudicij videretur. San-
236. ctus Franciscus Seraphicus adeo paupertatem sui Ordinis ad minima traduxit, vt sit dictu mirabile. *In cap. 4. Reg. Præcipio*; inquit, *firmiter fratribus vniuersis, vt nullo modo denarios, vel pecuniam recipiant per se, vel p interpositã personam*. Ex hoc loco deducunt eius discipuli denarios, hoc est nummos, ne tãgi quidem, aut contrectari manibus posse. Itaque *Familia Cismontana de obseru. c. 4. Stat.* hoc habet in decretis. *Quibus pœnis* (con-
237. tra proprietarios) *etiam affitiuntur, qui denarios supra se portauerit, vel proprijs manibus contrectauerit, vel vipera, vel supra iumentum detulerit*. Et postea fit casus reseruatus Ministro Prouinciali: *Ex Capitulo Vallisoletano anno* 1593. Neque vero hæc pœna recens est; nam in Constitutionibus Guglielmi Farinerii Ministri Generalis editis in *Capitulo anno* 1354. iubetur pœnæ proprietarij subiacere, Quicumque pecuniam super se portauerit, vel propria manu contrectauerit, vel in cella vbi frater fuerit de conuentu, retinuerit. Adiungitur carcer illi, qui iterum id peccauerit. IOANNES item DE CAPISTRANO *in suis ordinationibus, Dico*, inquit, *& ordino, quod fratres omnino abstineant à receptione, tactu, & contrectatione pecuniarum*. Tantum abesse volunt à proprietate, quæ contactu politico, qui dicit vsum, perficitur, vt ne contactu quidem physico tangi numismata, seu denarios permiserint; veteres imitati Basilium, Cassianum, & alios Patres, qui Meum, ac Tuum dici nolebant, ne proprietas ex ore, ac lingua sensim vi delaberetur. Ex vi Regulæ Frãciscanæ negat tamen ANTONIVS à CORDVB. clarus illius commentator,

mentator, *c.4. q. 4.* Minores prohiberi contactu physico; sed peccare illos ait, si tangant sine causa, iure naturali, vel quia se periculo exponunt tangendi politice; quod denarij vim habeant illaqueandi; vel quia contactus est scandalo videntibus actum externum, non internam intentionem, vel quia est actus otiosus.

Sed contra hanc curam minimorum quædam obijciuntur ab osori-
239. bus exactæ disciplinæ, ac eiusdem minimorum curæ reprehensoribus. Primo dicunt, De minimis non curare Prætorem; & parum pro nihilo reputari. Illud quidem desumentes ex multis legibus, ac priscorum Iurisconsultorum responsis, sed potissimum ex CALLISTRATO definiente *l. scio. ff. de in integr. rest.* ne postulans restitutionem in integrum audiatur, propter rem minimam, quæ maiori summæ præiudicet. Hoc vero posterius dictum sumptum est ab ARISTOTELE *lib. 3. physic. t. 56.* qui de bona malaque fortuna disputans, ait, Eum non dici, vel infortunatum, vel fortunatum, si parum absit à mala bonaque fortuna; Quod enim, inquit, parum, tamquam nihil distare videtur. Nec dissentit ius Ciuile, quoniam ex VLPIANO *l. 1. & l. ob quę. de edil. edict.* leuis febricula, vetus quartana, quæ iã sperni potest, vel vulnusculum modicum in mancipio vendito cõtemni possunt, negat dari redhibitionem mancipij, si deprehendatur leuis lippitudo, aut leuis dentis auriculæue dolor.

240. Sed respondendum est, dictorum illorum multas à iurisprudẽtibus tradi limitationes, exceptiones, interpretationes, adeo vt non semper in omnibus rebus, personis, actionibus veræ deprehẽdantur ita crudæ, vt pronuntiantur. BARTOLVS, *Iurisconsultorum Choripheus d. l. scio. ff. de restit. in integ.* In his quæ conceduntur secundum ius commune, curatur de minimis; secus in his, quæ contra ius commune, ex speciali priuilegio permittuntur. IASON quoque *in Aut. qui rem. C. de sacros. eccles. n. 16.* alicubi duodecim colligit casus in iure ciuili, in quibus curatur de minimis, adeo vt parum pro toto, & pro maximo maxime nocent. ANTONIVS CORSETVS Tractatum de minimis scripsit; atque vt in priori parte collegit ex vtroque iure casus, in quibus minima negliguntur in foro contentioso, sic in posteriore accumulauit eos, in quibus minimorum habetur ratio; ac speciatim obseruat pro vno ouo dari actionem furti. Et sane, si

minimum

minimum requiratur ad integrandum totum, & si sit de substantia, & forma alicuius actus, habetur in consideratione, vt ex iure probant BALDVS *l. quamdiu, C. de destru. pign.* ANTONIVS *de BVTRIO C. Pisanis de rest. spol.*

Idem annotat NIGRONVS *in suo de cura minimorum p. 7. n. 82.* ne lector iuris ciuilis imperitus deterreatur ab aliquo sciolo, qui duobus illis axiomatibus buccas inflet, iactans doctrinam suam circa minimorum curam iuri ciuili, quod cum naturali congruit, aduersari. Quod autem ad Aristotelem spectat, qui dixerat in fortuna bona, malaue parum pro nihilo habendum; respondendum eumdem in *Polit. lib. quinto, cap. tertio.* de gubernatione agentem, censuisse, Rerumpubl. interitum à paruis existere, proinde parum non esse pro nihilo reputandum. *Insuper*, inquit, *propter pusillum: Dico autem pusillum, quando latet paullatim subcrescens Reip. mutatio, quæ ad magnitudinem latenter euadit, si negligatur; quemadmodum apud Ambraciotas, à paruo censu prius erant magistratus, tandem vero à nullo; quasi nihil, aut prope foret inter parum, & nihil.* Hæc verba postrema significant in politia, inter parum, & nihil non interesse nihil; aut prope nihil, sed multum.

Audiant igitur superiores S. CHRYS. *Gal. 1.* commonentem, *Ob id,*
241. inquit, *maiora scelera subierunt, quod minoribus debita correctio non adhibetur.* Et, *In animis, qui pusilla dissimulant, maiora inuitant.* Itaque prudenter, ac religiose Nicolaus Auria, qui
242. Congregationem Carmelitarum discalceatorũ in Hispania rexit, rogatus causam dicere recessus religiosorum à statu primæuo, dixit, ex magna peritia, quam ex diuturna religiosa vita comparauerat, id euenire, quod in familijs religiosis potius hemicrania, quam podagra laboretur; hoc est, vt interpretatur IOAN. BOTERVS, qui *p. 3. dict. memorab. lib. secundo.* responsum refert, culpam in capite (quod hemicraniæ morbo vexari solet) idest in superiore inhærere potius, quam in pedibus, qui podagra obsidentur, id est in subditis; quia Superiores langui di non obsistentes principijs malorum, quæ parua sunt, ea sinũt inualescere, atque increbescere, vnde sequitur necessario disciplinæ relaxatio statusque primi mutatio. Non discepta opi-
243. nione à Nicolao, & alijs Magistris. SCRIBANVS *in Medico Religioso*, qui superiores Religiosorũ rerũ domesticarũ, & personarũ

sibi creditarũm ignaros castigans, hæc habet, *Certe vel minima etiam ignorasse grauium in gubernatione errorum causa est. Ille prudenter præesse potest, quem nullæ domesticæ res latent, magnæ illæ, aut paruæ sint, plurimum ad gubernationem conferunt; cum minimæ etiam aliæ atque aliæ intercurrentes circumstantiæ, alia atque alia consilia deposcant; maximeque sæpe res, & à quibus plurimorum salus, felicesque infelicesque exitus etiam à minimorum cognitione pendeant. Idem in superiore religioso, Nec infimis minus, quam maximis incumbat superior; certus regulas vtrasque à Deo prouenisse, pari proinde eas cura ac solicitudine tuebitur; eo magis quo à minimis quibusque, non à maximis ordinum discrimina sumantur.*

244. Cogitet superior à minorum neglectu ad maiora sensim delabi, ita à scintilla contempta flamma exoritur, & vrbes ab illo iam nullæ. A leuissimo morbo, aut vulnere secuta mors, contemptorem suum in exemplum infelici exitu posteritati dedit; & tenuissimæ res quantam non raro stragem familijs regnisque dederunt? vt plus persæpe à minimis, quam à maximis periculi sit, hæc enim prudentior quisque refugit, neque facile se in apertam improbitatem conijcit; minima dum non timentur, incautos perimunt; sane plus metuendus qui ex insidiis exurgit hostis, quam qui armatus decurrit campo. Quare prudens superior, licet omnem hostem metuat, maiori tamen sollicitudine minimo inuigilabit; certe plus sæpe ab hoc periculi prouenire, quo natura sua minor; maiora metus comitatur; ad ardua enim armamur; inermes ad minora decurrimus; quare inexspectata, ab his damna accipimus; ita & rarior ab ingenti præcipitio lapsus est, cum periculi magnitudo cautiores nos reddat. Sic SCRIBANVS loc. cit. Sed obsignetur hæc doctrina de minimis S. ANSELMI auctoritate, qui memorabilem hanc sententiam tulit post laudatam curam minimorum; *Vbi vero minimi excessus negliguntur, ibi totus ordo paullatim dissipatur, & destruitur.*

Verum non obstantibus his omnibus, quæ adhuc in proposita difficultate dicta sunt, opinabitur quis, se paucorum flatu verborũ hæc omnia posse euertere, dicens, se vouisse obedientiam secũdum Regulã, quæ non obligat, nisi ad adimplenda tria vota, in

245. quibus tota est ipsius Regulæ essentia. Cui ego respondeo, ipsũ sic interrogans, an putet dari, vel dari posse Religionẽ, ĩ qua,

præter-

prætermiſſis ceteris, ſola tria vota obſeruentur. quod ſi affirmet, ego tali ratione nego, quod ſicut corpus, & anima, etſi hominem componant, ſine accidētalibus, non ſubſiſtunt; ita Religio, quæ in ſola votorum eſſentialium obſeruatione gloriatur, non eſt aliud quam Religio ſine religione, & ordo ſine ordine.

246. SERVATIVS *in ſuo Cathechiſmo lect.* 100. affirmat, nullum Monaſterium, quod in ſola trium votorum obſeruatione permanſerit, immaculatam integram vitam traduxiſſe. Fatetur ſe feciſſe ſæpe inductionem, & quod illud ſit, nōdum inueniſſe; immo nec retroactis ſæculis extitiſſe, vel in poſterum extare poſſe, multorum ſapientum collatione didiciſſe.

Dicunt aliqui lapidem (vt appellant) philoſophicum nondum quidem inuentum eſſe, ſed inueniri poſſe non ambigendum. SERVATIVS idem de Monaſterio, in quo ſola tria vota ſeruātur, dicere non audet, nam iſtiuſmodi, in quo incolæ via ordinaria ſa-
247. lutem operentur, reperiri poſſe ſibi perſuadere non poteſt. Illis.n. propugnaculis, & arcibus ſublatis, vota ſunt expoſita furibus, qui animas depredantur, occaſioneſque peccatorum etiam proximas continuo ingerunt; quibus non delectari, potius eſt angelicum, quam humanum, & in quarum medio verſari ſine notabili paupertatis, vel caſtitatis, vel obedientiæ læſione, an poſſibile ſit, loquatur, & enuntiet expertus. Quis vmquam crederet eum, qui potiſſima ordinis ſui ad paupertatem, caſtitatem, & obedientiam media, ſiue inſtrumēta deſerit, vere pauperem, caſtum, & obedientem euaſurum? Miraculo non ignobili tribuendum, ſi in poſterum fiat. Antehac factum numquam quis (ni fallor) legit, vel audiuit?

Quomodo enim vota Religionis obſeruantur, vbi nihil pręter Meū, & Tuum dominatur; vbi quidquid habetur, independēter habetur; vbi à ſingulis emitur, venditur, commutatur quodlibet pro libito; vbi peculio per fas, & nefas incumbitur; vbi nulla eſt carnis afflictio; nulla ventris maceratio; nulla niſi inter ludos, & iocos occupatio; nullum de non videnda muliere cum oculis pactum; nullus à mulieribus receſſus; vbi caro aduerſus ſpiritum inter edulia armatur; vbi ſomno non ſolum ad ſaturitatem, ſed etiam ad voluptatem indulgetur; vbi nihil præter delicias, & corporis blandimenta quæritur; vbi tribuitur carni quidquid appetitur; vbi comeſſationes, & compotationes in-

mediam noctem producuntur; vbi corpus delicatulũ tam in lecto, quam alibi fouetur, vbi euagationes quotidianæ sunt liberæ; vbi aliena voluntas exulat, & propria adoratur; vbi non obeditur, nisi quod gratum sit præcipiatur; vbi obedientia est murmuratio, oblocutio, detractio, & querimonia. Vbi bonum dicitur malum, & malum pro bono colitur, & honoratur; vbi denique in dubium vocatur, vtrum Generalis eius Instituti, cuius constitutiones ad mortale transgressorem non obligant, præcipere sibi subiectis sub mortali queat aliquid, quod ad obseruantiam regulæ pertineat, & ipsi Generali id præcipienti in faciem resistitur? 246.

Non tamen oblitus sum, me supra dixisse, & confessum esse, quod quasi in omnibus Religionibus vsu receptum est, vt nullus Superior solus per se posset leges, vel constitutiones condere, immo modo addendum puto, nec in ipsis legibus, vel constitutionibus aliquid immutare, addere, vel imminuere, excepto Generali Capitulo, penes quod facultas leges condendi, abrogandi, vel etiam interpretandi per Summorum Pontificum priuilegia residet, vt notat PEREGR. *in Compendio Priuilegiorũ Clericorum Regularium in v. constitutiones, §. 1.* Negari tamen non potest, vt ex ANGL. TOLET. CAIET. CASTRENS. VAL. SALON, & SAYRO probat HOMOBONVS, *De humanæ vitæ statibus, parte prima, cap. vigesimosecundo De statu Prælatorum Regularium, & eorum officio, & obligationibus*, quin Præfectis generalibus, prouincialibus, & localibus etiam Præpositis potestas insit ad culpam lethalem obligandi, præsertim in grauioribus, & si præceptum his verbis exprimatur, *Præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ*, vel sub pœna excommunicationis. 247.

248.

Nec valet ratio, quæ solet passim adduci à subditis, quod scilicet MARTINVS PAPA V. expressè dicat, quod non intendit obligare Constitutionum, Decretorum, Ordinationum, & Cor-

249. rectionum transgressores, nisi ex contemptu contrafiat. Quia idem MARTINVS præcepit, *quod vniuersi Prælati Congregationis sub Prioris generalis, & alij Canonici, conuersi, & commissi sub Prelatorum, in quorum Monasterijs, aut locis deputantur, seu morantur obedientijs viuant, & eas illis humiliter præstent; &*

250. *nulli Prælatorum, vel Canonicorum ab institutis, ordinationibus,*

corre-

correctionibus, & mandatis Capituli, seu PRIORIS GENERALIS, aut aliorum Prælatorum ipsius Congregationis, ad quemcumque, etiam ad nos, & Sedem Apostolicam, nisi de speciali Summi Pontificis licentia appellare liceat; appellationesque desuper pro tempore interpositæ, & inde secuta irrita habeantur.

251. Extat Decretum etiam Sacræ Regularium Congregationis cōtra ad Vrbem temere causa appellationis accedentes, cuius verba sunt hæc: *Quoniam nonnulli Regulares vagandi studio, siue dū imminentem admissorum criminum pænam ex suis constitutionibus, aut alias debitam sibi metuunt, falsa, & commentitia grauamina causati, non ad immediate sui Ordinis Superiores, scilicet à grauamine Prioris ad Prouincialem, à Prouinciali ad Generalem, à Generali ad Protectorem, prout cuiusque Religionis Constitutionibus disponitur, sed ad hanc Romanam Curiam absque licentia sæpius fugiunt, potius quam recurrant, ex quo Ordinum disciplina relaxatur, Prælati* CONTEMNVNTVR, *& ipsi in dies audaciores euadunt. Placuit Sacræ Regularium Congregationi, ex ordine Sanctissimi statuere, vt si quis Regularium in posterum temere, leuiue ex causa hanc almam Vrbem, seu Curiam absque sui Superioris licentia, & supradicta forma prætermissa adire præsumpserit, ad suos eosdem superiores seueriori pæna plectendus remittatur.* Hæc ibi, vt videre est apud *Quarant. in sum. Bull. v. Monasteria, & conuentus.*

Notandum hoc verbum, CONTEMNVNTVR, & applicandum ver-
253. bis supradicti MARTINI V, *nisi ex contemptu contrafiant*. Scio, materiam hanc de contemptu, quando sc. quis ex contemptu transgredi censeatur, à diuersis diuerso modo explicari, vt li-
253. cet videre apud Doctores, sed non me latet quoque, NAVAR. *cap.* 23. *n.* 42. asserere, quod licet consuetudo non sit contem-
254. ptus, ex ea tamen præsumitur contemptus in foro externo. Addit etiam ipse NAVAR. consuetudinem multum incitare, & inducere ad contemptum; Quod etiam docet D. THOM. 2. 2. *q.* 186. *art.* 9. *ad* 3. ex illo *Prou.* 18. *Impius cum in profundum malorū venerit, contemnit.* Ratio autem esse videtur, vt scribit SALAS *de legib. qu.* 96. *Tract.* 14. *Disput.* 10. *sect.* 8. *n.* 4. quia magna illa inclinatio ad malum sub alijs motiuis consuetudine acquisita iuuat maxime, vt ex pessimo contemptus motiuo delinquatur; qui enim aliquid vult vno motiuo, facile adducitur ad idem amplectendum ex alio. CAIETANVS, *in tom. sup. d. art. D. Thom.*

sic

sic scribit, Caueat tamen, inquit, Regularis, ne frequentia peccandi disponat se ipsum paullatim, & tamdem se deducat
255. ad voluntatem non subijciendi se Regulæ; quoniam vt in littera dicitur, frequentia peccati dispositiue inducit ad contẽptum, sicut consuetum veniale non correctum dispositiue inducit ad mortale.

Ad id respexit SAPIENS, dum dixit, *Impius cum in profundum malorum*
256. *venerit, contemnit*. Nam, licet huius text. lectio variè exponatur à Patribus, expositio tamen D. CHRYS. *Hom. 22. in Genes. & in Epist. ad Theodor. Lapsum*, huc respexit, dum profundum malorum, aut peccatorum, ipsam peccandi consuetudinem interpretatur; à qua, quisquis in eam incidit, vix emergere potest; Et quidem *in ea Hom.* sic scribit, *Impius cum in profundum ceciderit malorum contemnit: graue est, dilecti, capi laqueis diaboli; anima enim postea, quasi retibus comprehensa, trahitur, & sicut sus in luti volutabro immergitur, sic & ista mala consuetudine obruta, ne sentit quidem peccatorum suorum fœtorem*. Id est, quemadmodũ sus vbi in limum profundi se immersit, naso luto altius inuoluit, luti fœtorem non percipit; sic etiam impius per assuetudinem peccandi suorum scelerum cœno altissime obrutus, contemnit, idest peccatorum suorum graueolentiam non sentit.

Hanc expositionem expensis singulis hic SALAZAR sic illustrat: Cum in profundum venerit, græce legitur, in profunditatem malorum; profunditas enim adsignificat in hoc loco abyssum, & quidquid in rebus imum est. Hinc sæpius accipitur pro terræ centro. Itaque licet conuertere, Impius cum in centrũ peccatorum venerit, vt in hunc locum nõ nemo obseruauit. Quid tunc? contemnit. Corpora grauia vbi ad centrum deuenerũt, tria omnino obtinent, vt docet ARIST. *lib. 1. de cœlo, & mundo*, scilicet quietem, conseruationem, & vnionem: peccandi cõsuetudinem capiamus, aptissime dicemus peccatorem, cum ad centrum iteratis sceleribus decurrit, tria illa experiri. Primo quietem, nam in delictis suis mira tranquillitate conquiescit, nec ab his resurgere adnititur. Secundo conseruationem, quia in culpis suis aut semper, aut diutius perseuerat. Denique vnionem, sc. cum alijs sceleratis, atque impijs, quorum familiaritatem, & vsum quærit, & ab honestis omnibus, ac pijs hominibus plurimum abhorret.

Vel aliter, si cogitemus consuetudinem prædictam criminum ipsorũ centrum esse, sic enim SALOMON, In profundum, seu centrum peccatum, aptius dicemus peccata ipsa in hoc centro tribus illis gaudere, primum quiete; non enim iam conscientiam vrgent, aut exturbant, aut agitant; deinde conseruatione, nam ad obitum vsque perdurant; denique vnione, quia repetita scelera coeunt, & velut conglobata mutuo sibi hærent. Hoc sibi vult illud verbum, contemnit, quod non eodem modo explicant interpretes. HVGO sic exponit, contemnit conscientiam. LYRA, contemnit supplicia. Hinc quies, nam cum hæc duo, sc. conscientia criminis, & timor supplicij, peccatoribus quietem adimere soleant, quicumque illa prorsus abiecerit, ac deposuerit, nihil iam habet, quod quietem illius interturbet. Rursus LYRA exponit, contemnit omnem correptionem, pænitentiam, omnemque medicinam. Hinc conseruatio peccatorum, quæ sola pænitentia deleri possunt, aut correptione emendari. Denique *Hieron. Athanas. Chrys. & alij*, verbum contemnit, perinde esse existimant, atque exuit verecundiam, & frontem perfricat. Hinc vnio, & conglobatio scelerum, quæ repetitis criminibus accidit; nam pudore neglecto delicta facile iterantur. HVGO CARD. per profunditatem peccatorum significari posse autumat, contumaciam, pertinaciam, defensionem, iactantiam, desperationem, præsumptionem, excæcationem intellectus, corruptionem affectus. Quæ omnia ex peccandi consuetudine proficisci facillime probari potest. Sed tamen omnia persequi longum esset, & ad id, de quo modo quærimus inutile.

257. Quis non videt, Religiosos cum pertinacia asserentes, vt liberius peccent, superiores non posse eos obligare ad peccatum mortale in illis rebus, in quibus eos Constitutiones non obligant, in supradictum profundum venisse, & per consequens in Superiorum, immo & in legum ipsarum contemptum deuenisse? Nonne de his cum LYRANO dicere possimus, eos omnẽ correptionem, pænitentiam, omnemque medicinam contemnere? Nonne isti in centrum peccatorum venerunt, cum in eis illa tria, nempe in transgressionibus quies, conseruatio, & cum alijs transgressoribus vnio reperiantur? Nonne denique cum *Hieronymo, Athanasio, Chrysostomo, & alijs* de illis pronunciare

ciare

ciare iure nobis licet, eos verecundiam exuisse, & perfricasse frontem? An sint contumaces postea, pertinaces, & se ipsos defendentes, ipsimet videant, & diiudicent.

Sed ad punctum ipsum difficultatis redeamus, dicentes, quod licet Summus Pontifex dicat, se nollo obligare aliquem ad peccatũ

258. mortaleq; Constitutionibus Religionis, nisi contrafiat ex contẽptu; attamen non est vllo modo dicendum, ipsum Sanctissimum voluisse subditos eximere à potestate gubernatiua paterna, & suo modo dominatiua, quam de iure, & vi voti obedientiæ in

259. ipsos subditos habent superiores. Item noluit multo minus ipse Summus Pontifex, vt per se patet, à re, quæ de sui natura grauis est, & mortifera, peccatum ipsum separare; ita vt tantum in casu contemptus ad mortale obliget; sed solum intendit, rem ipsam, ibi præceptam, si leuis sit, non fieri grauem ex vi Constitutionum, dummodo absit contemptus. Nam, vt scribit BERNARDVS *lib. de præc. & dispens. c.* 14. contemptus in om-

260. ni specie peccatorum pari pondere grauis est; & ibi BERN. loquitur, vt asserit SVAREZ *de legibus lib.* 3. *cap.* 28. *n.* 29. de minimis præceptis.

261. Id confirmari potest ex ordinatione SIXTI IV. apud RODERICVM *Tom.* 1. *Quæst. Regul.* 16. *art.* 8. vbi ipse Summus Pontifex statuit ac decreuit, *quod Ministri, Custodes, & Guardiani, & Fratres Ordinis Minorum præsentes, & qui pro tempore fuerint ex statutis, seu consuetudinibus, vel declarationibus dicti Ordinis præter regulam quomodolibet, & à quibuscumque editis etiam confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, illis contrafaciendo nulla ecclesiastica censura, nulloque peccati mortalis vinculo ligari valeant, nec censuras, & pænas, seu mortale peccatum huiusmodi incurrant; nisi tales essent casus, vel excessus, qui à diuina lege, seu præcepto Romanæ Ecclesiæ merito inducerent ad mortale; censuras, & pænas taliter latas harum serie reuocans, & annullans; illasque ad vim commutationis pænarum comminatoriarum, vel ferendarũ; seu corporales, & temporales pænas prædictas per Generalem Ministrum, Custodes, Guardianos, & alios Prælatos ipsius Ordinis ferendas, & infligendas reducentes; quodque Ministri, Custodes, Guardiani, & alij ipsius Ordinis Prælati prędicti, corporales, & temporales, seu alias pęnas pro non seruatione dictorum statutorum secundum qualitatem personarum, locorum, & temporum, & alias*

prout

prout videbitur saluti animarū fratrum eorūdē in Domino expedire, ferre, & promulgare, ac delinquentes ab illis absoluere valeant.

262. RODERICVS asserit, quod Papa in hac Bulla loquitur de statutis, ordinationibus, & declarationibus factis pro Ordine Fratrum Minorum tantum; solum enim hæc reuocantur, non autem reuocantur obligationes ad culpam, seu pœnam, indictæ per statuta, seu declarationes Papales, seu ecclesiasticas editas generaliter pro omnibus Christianis, seu pro omnibus Religiosis, quales sunt multæ prohibitiones, & censuræ inflictæ à iure, seu per extrauagantes generaliter quoad omnes Christianos, seu quoad omnes Religiosos tantum, quia istæ non reuocantur per prædictum priuilegium, vt patet. Nam hoc esset absurdum, quod clare innuitur in eodem priuilegio Sixti IV. vbi expresse dicitur, nisi tales essent casus, & excessus, qui diuina lege, aut præcepto Romanæ Ecclesiæ merito inducerent ad mortale. Quis non fatetur, statuta de non ludendo ad aleas, & alia supradicta à nobis exposita esse huiusmodi?

263. Vidimus igitur, nec ipsum Summum Pontificem intendere suis constitutionibus, aut interpretationibus eximere Religiosos à potestate gubernatiua paterna suorum superiorum, quam ipsos de iure, & vi voti obedientiæ in illos habere iam diximus. Quare quanto magis negandum est, Capitulum generale id intēdere, & velle, dū Superiorum, ac ēt Generalis limitat auctoritatē, prohibēdo ipsis, ne leges nouas cōdant, aut in antiquis aliquid immutent, addant, vel imminuant? Dicamus igitur explorati iuris esse, eisdem Generalibus, Prouincialib. & Conuentualib. Prælatis integrū esse, in particularibus casibus grauiorib. suis præceptis subditos ad lethalem culpā, vi saltem supradictæ po-

264. testatis gubernatiuæ obligare posse; licet per constitutiones Religionis contrariū videatur decretū. Nā ipsę constitutiones, dū Superiorib. prohibent, ne ipsi leges condant ad mortale obligantes, sic sunt interpretādæ, vt huiusmodi prohibitiones iurisdictionalem tantum potestatem, non autem gubernatiuam paternam respiciant. Est enim hæc potestas inseparabilis à Superiore, itaut non possit esse, nec etiam mente concipi Supe-

266. rior, qui hac careat; & idem sit eum huiusmodi potestate spoliare, ac ipsi prælaturam adimere. Quare concludenter dicēdū, tātū abesse, vt à Capitulo generali possit hæc potestas à Su-

peribre separari, vt nec etiam à Papa, dicerem nec à Deo ipso vllo pacto queat; implicat .n. contradictionem, esse Superiorem, & non habere potestatem gubernatiuam in subditis.

267. An vero idem præstare possit Generalis vi etiam suæ ordinariæ iurisdictionis, non obstante prohibitione Capituli Generalis, & Constitutionum Religionis, affirmatiue respondendum arbitror; non enim est verosimile, Capitulum Generale & Constitutiones intendisse in tantum proprij Prælati iurisdictionem imminuere, vt etiā ei non liceret quod per se peccatum mortale est, sub pæna peccati mortalis prohibere, & ad obedientiam contumaces censuris et compellere. Potest, fateor, Capitulum generale limitare iurisdictionem Generalis, vt de facto limitat suis Constitutionibus, at enim supradicta iurisdictione spoliare posse quis auderet dicere? nulla .n. prælatura inuenitur sine huiusmodi iurisdictione spirituali; nam totum esse Generalis, vt Generalis est, in potestate, seu iurisdictione consistit. Quando igitur Capitulum generale determinat, quod non possit à quocumque Superiore condi præceptum vllum ad culpā lethalem obligans, intendit solum ipsis Superioribus prohibere, ne suis præceptis rem per se leuē grauem reddere possint, ita vt vi suorum præceptorum obliget ad mortale: Quando vere manifeste constat, rem esse per se grauē, & mortalem, quis, obsecro, negaret, posse eos in tali casu iurisdictione ordinaria præcipere eam sub pæna peccati mortalis, & et, si opus sit, excōmunicationis?

268. Semper multum à Summis Pontificibus Generalium Ordinum iurisdictioni delatum est, vt est videre apud CASTELLINVM *in suo de electione &c. cap.* 1 *num.* 34. Et ipsa Capitula generalia multa suis Generalibus concesserunt, vt de quodam Capitulo generali Ordinis Prædicatorum testatur idem CASTELLINVS, dum scribit, ipsum Capitulum Generali pæne totam suam iurisdictionem demandasse *Damus*, inquiens, *Reuerendissimo Patri nostro Magistro Ordinis, omnem nostram auctoritatem circa præmissa omnia, vt ea declarare possit; quæ declaratione indigent, & eisdem addere, vel minuere, omnia denique,* & *singula facere, quæ nos agere possemus.* An vero Generalis habeat iurisdictionem suā ordinariam à Summo Pontifice, vel à Capitulo generali, legatur SVAR. *Tom. 4. de Relig. lib.* 10. *cap.* 4. *n.* 7. *& seq.* STEPHANVS *de* ALVIN. *in suo de potestate Episcoporum &c. ca.* 36. *n.* 3. docet,

Iurisdictionem in foro Sacramentali, à Pontifice in Regulares non deriuari, nisi medio proprio Prælato, saltem Generali, & cum consensu eius expresso, aut tacito, ne quid derogetur debitæ subiectioni, & obedientiæ erga proprios Prælatos.

Tantum tribuunt Generali Capitulum Generale, & Summi Pontifices etiam, & non existimabimus, per Constitutiones Religionis, etiam Apostolica auctoritate editas, & confirmatas, in tantum ipsius iurisdictioni derogari, vt ipsis interdicatur iurisdictionis vsus, in condendis præceptis ad mortale obligantibus circa res, quæ suapte natura, & intrinsece ita malæ, & prauæ sunt, vt nequeant esse bonæ, & honestæ? Hoc asserere est quasi

269. concludere, dispensationem in lege naturæ cadere posse. Quę assertio negatur etiam de ipso Deo, cum ipse in nullo pręcepto legis naturę directe, & formaliter possit dispensare. Rationem affert CORNELIVS *à* LAPIDE *in* 1 *cap. Oseæ Prophetæ*, quæ est, quia lex naturę continet, & pręcipit id, quod natura sua, & intrinsece bonum est; quocirca quę contra eam fiunt, natura sua, & intrinsece mala sunt, non quia voluntate Dei prohibita, sed quia suapte natura contraria, & dissentanea sunt naturę, & rationi naturali, sicut etiam supra vidimus. Vt enim res possibiles sunt possibiles, non quia Deus voluit eas esse possibiles, sed quia ex se nō implicat contradictionem vt esse possint; eodem modo opera contra legem naturæ suapte natura sunt mala, non quia Deus voluit ea vt mala prohibere, sed quia ex se ipsis naturæ rationali, vt rationalis est, contraria sunt, & repugnantia. Cum ergo Deus non possit pro voluntate sua mutare naturas rerum, non poterit etiam mutare leges naturæ, vt quod illa dictat esse conueniens rationi esseque bonū, Deus decernat non esse conueniens esseque malum.

MIRANDA *in suo Manuali Prælator. Regularium Tom.* 1. *quęst.* 13. *art.* 4. loquens de Prælatorum Regulariū iurisdictione, in tantum eam

270. eleuat, vt dicat, nimis probabiliter sustineri posse, quod horum Prælatorum iurisdictio in suos subditos competat eis de iure diuino, & non solum ex Papali humano. Hanc sententiam, & opinionem tenuisse, atque sustinuisse multos grauissimos Doctores testatur; qui omnes affirmanter dicūt, quod subiectio Religiosorum ad suos Pręlatos, quamuis vere sit de iure Papali humano, & dependeat à Summo Pontifice,

quia re vera sine ipsius ministerio, & interuentione præfati Prælati regulares nullam haberent iurisdictionem, eo tamen non obstante, dicunt supradicti Doctores, quod etiam ipsa est de iure diuino, & iure diuino ipsis tradita, cum vere sint Ecclesiæ Prælati, & proprias oues habeant, ex diuino placito, atque diuina institutione, quas regere, & gubernare minime possent sine præfata iurisdictione. Sed esto non ita sit certa, atque indubitabilis hæc resolutio, ut fatetur etiam ipse Miranda, tamen certum est, Prælatos regulares esse vere Ecclesiæ Prælatos, atque in suos subditos ordinariã habere iurisdictio-
271. nem. Quare, cum iurisdictio ordinaria sit fauorabilis, dum limitatur ipsa, semper stricte limitatio est intelligenda, & interpretanda, vt quanto minus fieri possit, iuri alieno præiudicet.
272. Sed si supradicta prohibitio facta Generali de non condendis legibus, &c. vt supra, intelligenda, & interpretanda esset, vt dicunt aduersarij, non solum limitaretur eius iurisdictio, sed etiam prorsus tolleretur. Vnde intelligenda est, & interpretanda cum supradicta nostra modificatione.

Sed, antequam finem huic Relectioni imponam, frequentem, & grauem dubitationem in medium afferre libet, quæ est, an is, qui professionem emisit in religione, quæ à rigore suæ primitiuæ
273. regulæ multum remisit, possit postea, in virtute obedientiæ cogi ad obseruandam Regulam primitiuam, facta reformatione in ipsa religione, vel etiam antequam fiat. Circa hanc quæstionem primo dicendum, Doctores varie in hac re sentire: quidam enim asserunt, etiam non facta vniuersali reformatione, obligari posse aliquem ex vi voti, vt seruet regulam, etiam si propter relaxationem ab alijs non seruetur. Ita sentit ANGELVS V. *Religiosus, n.33.* citans INNOC. & HOSTIENS. *c. super. vo de Regularibus.* Idem tenet MAIOR *in 4. d.38.q.2.* Nec refert si quis dicat, hunc Religiosum non intendisse profiteri Regulam, nisi prout illam inuenit, sc. relaxatam; nam licet hoc forte verum sit quoad intentionem expressam, non tamen quoad intentionem implicitam, & debitam, quæ satis est ad obligationem, *cap. ex parte, de Regularibus.* Alij tenent ante reformationem non posse aliquem cogi ad seruandam regulam quoad illã partem, in qua relaxatam inuenit; posse tamen restitui, & tunc consequẽter posse etiam obligari quemlibet religiosum antea

 191
professum ad primitiuæ regulæ obseruationem. Priorem partem huius sententiæ communem esse testatur SVAREZ *Tom. 3. de Relig. lib. 10. cap. 8. n. 15.* Tertia vero sententia est ipsius SVAR. *ibid.* quæ simpliciter negat, posse religiosum obligari ad obseruationem de reformatione primitiuæ regulæ acceptandam; quando inuenit eam relaxatam per consuetudinem præscriptã, quia non potest obligari ad illud obseruandum, quod professus non est. Pro hac tertia opinione extat pulcherrimum consilium FERRETTI, quod est 176. primi Voluminis.

274. Sed idem SVAREZ tamen concludit n. seq. distinguere oportere, qualis sit relaxatio, uel mitigatio facta in Regula. Triplex enim generatim loquendo, intelligi potest. Prima est, quæ & ab initio licite facta est, & eodem modo perseuerat; huiusmodi est, quando per dispensationem, vel priuilegium talis moderatio facta est; tunc enim potius hoc nomen meretur, quam relaxationis. Idemque erit, si materia talis sit, vt tota religio possit illam moderari, eiusque auctoritate facta sit moderatio, vt si non sit in rebus substantialibus religionis, sed in accidentalibus. Secundo potest esse relaxatio consuetudine introducta, ita tamen, vt in principio peccauerint, qui talem consuetudinem introducere cœperunt, postea tamen ita præualuerit, vt habuerit vim derogandi contrarias constitutiones; consuetudo enim præscripta, dummodo non sit per se illicita, hanc virtutem habet aduersus legem, vel constitutionem humanam. Sunt autem in Religionibus multæ obseruantiæ, vel austeritates, quæ solum nituntur in lege positiua, & ideo derogari illis potest per contrariã consuetudinem, quæ licet illicite inchoetur, quia tunc durat obligatio legis, postquam tamen introducta est conniuentibus Prælatis sine culpa seruatur. Tertio potest esse relaxatio ita per se, & intrinsece mala, vt nulla consuetudine præscribi, aut honestari possit. Huiusmodi autem relaxatio solum videtur habere locum in his, quæ sunt contra vota, quæ in religione fiunt; supponit enim SVAREZ non esse sermonem de tanta corruptela, quæ sit contra præcepta communia, nam hæc non est dicenda relaxatio religionis, sed corruptio vitæ Christianę.

275. Iuxta hos modos relaxationis, diuersimode respondendum est ad dubitationem. Quando igitur moderatio priori modo fa-

cta est, existimat Suarez habere locum tertiam sententiam supra positam. Quando autem relaxatio facta est secundo modo suprapposito, censet *idem* SVAREZ simpliciter procedere, & veram esse secundam opinionem supracitatam. Vltimo tenet veram esse primam sententiam, quando relaxatio est tertij generis. Ratio autem est, quia relaxatio, vel consuetudo numquam potest præualere contra substantialia religionis. Vnde si relaxatio fit in his, quæ directe sunt contra votum, etiam secluso præcepto obedientiæ, manet semper obligatio ex vi illius voti, cui repugnat relaxatio. Si vero fit in his, quæ multũ conferunt ad seruanda ea, quæ substantialia sunt, quamuis vota ipsa immediate non obligent ad illa, manet nihilominus semper ius in Prælato, vt ea præcipere possit, vt colligi licet *ex Clem. exiuit de verb. signifi.* Vt est v.g. clausura Monialium respectu voti castitatis, quæ licet immediate non cadat sub obligationem votorum, non tamen mediante præcepto Superioris, tamẽ mediante præcepto Superioris potuit imponi in virtute voti obedientiæ. Confirmatur supradicta sententia *ex Decr.* CONC. TRID. *sess.* 25. *de reform. ca.* 1. *de Regul.* vbi statuitur, vt in vnaquaque religione disciplina religiosa instauretur secundum regulam, tum quoad essentialia vnicuique, quam quoad pertinẽtia ad communem vitam, & Superiores Monachi, vt omnino curent, ne ab his institutis recedatur. *Cum cõpertum sit,* inquit, *ab eis non posse quæ ad substantiam regularis vitæ pertinent, relaxare.* Eadem ergo ratione nulla consuetudo contra hæc substãtialia præualere potest.

276. Ex dictis igitur satis constat, ad quam reformationem Superiori possit subditos suos cogere, nempe ad legitimam, honestam, & rationabilem, quæ est illa, quæ fit circa essentialia, vel substantialia, aut his necessario annexa, à Prælato legitima auctoritate prædito. Annexa essentialibus, vel substantialibus sunt ea omnia, quæ superius à nobis allata sunt, & similia, vt ludus illicitus, habitus mollis, & pretiosus, contemptus clericalis, & religiosæ tonsuræ, armorum vsus, & extra Monasterium furtiua mora. Potest igitur, immo tenetur Superior ad huiusmodi reformationem sua Monasteria reducere; & si in hoc fuerit negligens, poterit Episcopus, tamquam Sedis Apostolicę delegatus id præstare, *ex Conc. Trid. sess.* 25. *de Regular. cap.* 8.

Certum

278. Certum igitur videtur (vt cum SERVATIO *in sua Optica spec.* XI. loquar) esse in continuo peccato mortali eos Prælatos, qui, quantum possunt, sua Monasteria non reformant ad normam supradictæ reformationis, sed eorumdem suorum Monasteriorum dissolutionem tolerant. Et id faciunt, vel ex pusillanimitate, quia nimirum timent à Religiosis, & eorum amicis irrideri. Et huiusmodi pusillanimitas non potest non esse mortalis, cum sit subditis mortaliter perniciosa. D. THOM. 2.2. q.33. *art.* 2. *ad* 3. SYLV. V. *correctio*, n. 2. Quare, inquit B. GREG. *in can. sit rector.* d.43. *Quod, sicut incauta locutio in errorem pertrahit, ita indiscretū silentium eos, qui erudiri poterant, in errore derelinquit.* Vnde sequitur eos peccare mortaliter, qui suo silentio eis charitatis remedium denegant, quibus tenetur ex officio adhibere. Vel ex negligentia, quia nimirum negligunt suum ipsorum officium, & non attendunt onus; & hæc negligentia, si est rerum essentialium, & magni momenti, mortalis etiam est, & eo ipso quo tacet, consentire videtur, & punitur de negligentia, ac si faceret. *C. quid enim. can. consentire, dist.* 83. Vel ex ignorantia, videlicet quia ignorant ea, quæ sunt sui officij; & hæc ignorantia quia crassa est, est etiam mortalis. Vel denique ex timore, quia videlicet timent ab officio deponi, peccant etiam mortaliter. Sic SERVATIVS.

279. Qui etiam *speculo* 13. asserit, subditos item esse tamdiu in statu damnationis, quamdiu sunt in Monasterio deformato, & parati non sunt supradictam honestam, & rationabilem reformationem acceptare, sed potius legitimæ auctoritati reformare volenti resistere. Proinde rectè à CAIET. *in art.* 5. *q.* 189. 2.2. negatur, istiusmodi cœnobitis pueros esse committendos, cum ait, Vbi personæ sunt deuiæ à Regularibus Institutis, magna dementia est dare illis pueros, aut puellas nutriendas. Vnde sa-

280. ne fieri deberet, vt nullus puer, nulla puella posset Religioni tradi, nisi vbi vere viuitur regulariter. Sic enim aut extinguerentur irregulariter viuentes, aut reformarentur, vexatione dante intellectum. Atque id salutare eruditi, & religiosi Doctoris consilium CLEM. VIII. complexus fuerit. NAVAR. item *com.* 3. *de Regul. n.* 2. idem sibi certo persuadens ait, eos in statu damnationis, & infernali esse, qui reformationem legitimam legitima auctoritate faciendam recusat. Immo vero ait *c.* 12. *Man.*

281. n. 50. eum peccare mortaliter, qui huiusmodi Monasteria deformata ingreditur, & non obseruat illa Religionis præcepta, quæ sub reatu culpæ mortalis obligant.
282. Et ne aliquis excusationibus locus relinquatur, satisfacit obiectioni, quæ fieri poterat; Neque excusabitur, inquit, eo quod intendat non obligare se ad viuendum arctius, quam in tali Monasterio viuitur, eadem ratione, qua non excusatur à continentia obseruanda, qui sacros ordines suscepit absque intentione obligandi se ad eam seruandam. Quocirca qui huiusmodi Religionem, vel Monasterium ingreditur, & profitetur, si tunc non omnia, quæ ibi sub reatu mortalis delicti obligant, præmeditatur, vel si ea præmeditatus, non intendat se ad illa obligare, tenetur huiusmodi intentionem mutare in illam, qua intendat talia Religionis præcepta in posterum obseruare, vel eam none profiteri, vt recte annotauit MAIOR. Quod quidem verum est quoad essentialia vota, non autem quo ad alias accidentarias obseruationes, quæ sunt sublatæ, vel mitigatæ, &c. Hæc NAVAR. Ex quibus colligitur, eos in statu damnationis esse, qui in deformatis Monasterijs deformiter viuunt.
Hinc existit, quod *eodem loco idem* NAVAR. n. 51. CAIETANVM, cuius sententia paullo ante citata est, sequutus, asserat, eum peccare
283. mortaliter, qui filios vel filias offert Monasterijs Religiosis, vbi nimia cum libertate, & licentia viuitur, & promissa secundũ Regulam, & Religionem non seruantur. Quod quidem placitum, vt scribit SERVATIVS *loco proxime citato*, doctissimi illi viri numquam diserte adeo assererent, nisi sibi certo persuaderẽt, illos, qui offeruntur huiusmodi Monasterijs, vt fiant Religiosi, euidenti exponi periculo damnationis; quod vix fieri possit, vt ibidem professi habitent, nisi ceteros, qui in statu damnationis sunt, imitentur. Hinc est quod NAVAR. extra Monasterium,
284. in quo professionem emiserat, habitare procurarit, ac toto pæne vitę suæ cursu habitarit, vt patet ex *com. 3. n. 28. de Regular.* Formidabat nimirum periculum, quod Religiosis irreligiose viuentibus, & ijs, qui eorum delectantur societate, imminet.
IOANNES NIDER edidit opus vere aureum *de Reformatione Religiosorũ*, in quo inter cetera, recensit xv. argumenta deformatorum Cle-
285. ricorum, & Religiosorum, quibus se tuentur, ne à forma sæculi recedant. Et 1. soluit argumentum, obijcientium sc. comple-
xionis

xionis debilitatem, ostendens contrarium. 2. soluit quam obiiciunt compertam consuetudinem; ostenditque quando contra statuta Monastica excuset, & quando non. 3. Soluit quando obijciunt Prælatorum peccata, & declarat quod propterea reformationi eorum actiuæ nullus resistere debet. 4. Quando obijciunt esse expectandum cum reformatione vsque ad generalē reformationē Ecclesiæ, ostendit quod sit callide reformationē fugere. 6. Soluit quando obijciunt reformare esse ordinē diuidere, & notam personarum in eo ponere; declaratque contrarium, sc. quod hoc sit ordinem vnire, & ædificare. 7. Cum se iactant viuere, vt Pater eorum, distinguit de bonis, & malis Patribus, & admonet, ne temerarie iudicet quis de locis deformatis. 8. Cum obiiciunt dispensationem eis factam; docet vbi, quando, & in quibus, & qualiter possit fieri dispensatio, & quādo non. Et mouet tria dubia de proprietariis Monachis. 9. Cum causantur necessaria in victu se non habere, tradit, quomodo tunc fieri debet; & quanta confidentia sit habenda in Deo de temporalibus administrandis. 10. Cum obiiciunt status nobilitatem, vel dignitatem, manifestat, quod propterea acrius & amplius reformationi deberent insistere. 11. Quando timent sequi in diuino officio, vel seruitio personarum paucitatem; declarat contrarium, & quomodo hoc non sit timendum. Et quod obsequia malorum modicum, bonorum vero multum Deo placent. 12. Quando conqueruntur ad reformationem sequi pacis perturbationē, docet, quod duplex est pax, & discordia, & quando scandalum sit timendum, & quando nō. 13. Quando arguunt sequi lapsum grauiorem, & apostasiam, vel huiusmodi, ostendit quod propter talia non semper reformatio per Prælatos prætermitti debeat. 14. Quando ostendere nituntur, quod ex laxa vita maiora sequuntur bona, quam ex reformatione, manifestat multipliciter contrarium, & quanta mala sequuntur in deformatis locis, ex sumptibus in ædificiis, picturis, & huiusmodi. Denique quando obiiciunt modum procedendi in reformatione ineptum, pandit quanta calliditate se palliare consueuerunt vitiosi, & hypocritæ; sicut faciunt Behemoth, Lamia, Draco, & Ericius.

Sed iam huiusce Relectionis vela contraham, si tamen antea dicam,

286. Prælatum non peccare, dummodo faciat quidquid in se est, vt tollat dissolutiones suæ Religionis, immo mereri, faciẽdo quod in se est: Nullus igitur obligatur ad impossibile. Et hæc tolerantia ex impotentia proprie vocatur patientia à nonnullis Doctoribus. Cogitur.n. tunc tẽporis Prælatus pati eas dissolutiones, quia eis non potest obuiam ire. Quia igitur tum temporis tolerat ex impotentia impediendi, non autem ex negligentia oneris, & officii, proculdubio non peccat. Satis scio, quid reformationis gratia D. Hieronymus Pater meus (vt interim de aliis ta-
287. ceam Religiosorũ Patribus) in vrbe sustinuerit à falsis clericis, quid pertulerit à Religionis æmulis, cum in Bethleemitico scriptitaret Monasterio; non silent eius legenda, & Prologi sui in Biblia, nam à quibusdam maleficus, ab aliis Origenista, à reliquis varijs lacerabatur detractionibus. Sed tamen non debet despondere animum superior, corripiat transgressores Regulæ, & constitutionum, ne pereant, & ne ceteris periculum pereundi creent; idque sub pœna mortalis, vel venialis peccati, iuxta transgressionis grauitatem, vel paruitatem. Non tamen debet
288. à pęnis correctionem auspicare ipse superior, sed prius patrio, non iudicis more monere, & ad meliora hortari. In grauissimis solum iudicis personam induet. Quod si quis vltro peccatum suum deferat, factus accusator sui, benigne excipiet, ac mitigabit etiam delictum, remedia tamen in futurorum cautelam suggeret. Quod si pæne omnium quos regendos superior suscepit, ea improbitas fuerit, vt nullo patris, ac ne matris quidem pectore vinci possint, nulla comitate, beneficiis nullis, tunc seuere animaduertat in ipsos, nam, vt scribit D. AVGVSTINVS, *ad Bonifacium, Sicut meliores sunt, quos dirigit amor, ita plures sunt, quos timor corrigit.*

Tandem superiores non debent vllo pacto esse desides, remissi, dissoluti, languidi, nimis indulgentes, similes illis, qui in gubernatione his, & similibus axiomatibus vtuntur. Charitatis regula tãtopere à Christo commendata vtendum in Religiosorum gubernatione. Suauitatẽ à maioribus traditam in præceptis. Iugum Domini esse suaue. Zelus indiscretus malus. Qui vehementer emungit, elicit sanguinem. Compatiendum est exemplo Saluatoris fratrum infirmitatibus, non exasperandi Religiosi, qui sponte se Deo deuouerunt. Seueritate religiosæ familiæ

familiæ diſsoluuntur. Metus pœnarum à gubernatoribus non cœnobiorum, ſed ciuitatum, & regnorum adhibendus. Multa in religioſis Ordinibus ad terrorem potius, quam ad pœnam exigendam inſtituuntur. Regulæ non ſolent ad peccatum obligare. Superior his imbutus dogmatibus, conniuens in omnibus tranſgreſſionibus, omnia diſſimulat, nihil punit, omnibus parcit. Timeri timet nimis; proinde ſi quando moneat aliquem
290. in re graui, verba vſurpat Heli Sacerdotis, ac parentis languidiſſimi, reprehenſi ab omnibus Sanctis Patribus, atque à Deo ſeuerius ob hunc languorem caſtigati. *Nolite filij mei; non enim*
291. *eſt bona fama, quam ego audio.* 1. *Reg.* 2. Quærit DAVID à MAVDEM *loco cit. Diſcurſu præuio 6. in 4. præceptum:* cur adeo Heli infenſus fuerit Dominus, comminando ei pœnas grauiſſimas, mortes, ſtrages, bonorum, honorumque iacturas, aliaſque id genus, nullis ſacrificijs expiandas: Et reſpondet, Non eſſe aliam cauſam, quã quod non fuerit ſeuera admonitio Patris, erga filios, quia licet verba grauia dixerit, ac ſeueritatis plena, tamẽ oris geſtu, & vocis ſono quamdam lenitudinem oſtendit, non contraxit frontem, ſed exporrexit, non minas, ſed blanditias ſpirauit; non tonare, ſed cantare viſus eſt, non terribilem ſe exhibuit, ſed amabilem. Vnde CHRYS. *lib. 3. aduerſus vituperatores vitæ Monaſticæ;* cum dixiſſet plena fuiſſe grauitatis, reuerentiæ, ac ponderis verba monitoria Heli, & quæ ad ſtatum vitæ melioris, nõ penitus excordem, & amentem reuocare poſſent, addit; *Verũ, quia non omnia, quæ fuerant agenda, vt ea reſecarentur vitia, molitus eſt, & ipſe cum illis vnà perijt. Nam & minas ille addere debuerat, & à ſuo eos conſpectu amouere, atque abdicare, etiam & verberibus afficere, multoque illis grauius, & durius inſtare.*
Imitari videtur etiam Superior in corripiendis ſubditis Heli, dum monitus à ſenioribus de diſciplinæ lapſu, de alicuius fratris errato (quod fert ægerrime) ſemper illam excuſationem habet in ore; Nihil eſt, leue eſt, peccatum non eſt; humanitus erranti i-
292. gnoſcendum eſt. Laudem enim ſuauitatis, & humanam gratiam ſubditorum, popularemque auram paſſis velis captat, dicens in corde ſuo, *fiat tantum pax in diebus meis, Iſa.* 39. Dicat potius Superior cum CARTHVSIANO; Abſit à nobis pax inordinata, & peſſima, quia ſpiritus acquieſcit deſiderijs carnis, & ratio concupiſcentijs ſeruit; ita quod fatua famula dominæ principetur.

cipetur. Hęc est pax inquinata; quam cum Eua habuit Adam; quando ad Euæ suggestionem comedit fructum prohibitum. Vera pax bello paranda. Meneclides olim inuidens Epaminūdæ gloriæ, suasit populo, vt pacem haberent bello potiorem. Cui Epaminundas, *Fallis*, inquit, *ciues tuos, qui otij nomine eos ad seruitutem vocas.* Pax enim bello paratur; nec enim tueri licet, nisi ciues sint ad bellum instructi. Idem respondeat Superior illi, qui eum ad pacem hanc pessimam adhortatur; Fallis, frater mi, tuos confratres, qui pacis nomine eos ad turpissimā propriæ voluntatis seruitutem vocas. Pax enim bello paratur, nec eam in Religione tueri licet, nisi Religiosi sint ad bellum contra insidias diaboli instructi.

294. Imitetur Superior bonum Imperatorem, qui seuere, & constāter suos milites ad fortitudinem, ad obediētiam, & maxime ad perfectam castrensium legum obseruantiam adhortatur. Tenacissimum enim vinculum est disciplina, ex ea omnes triumphi. Hæc adeo Romanis culta fuit, vt liberorum charitatem vicerint. *Disciplina maiorum*, (inquit) ALEXANDER *apud* LAMPRIDIUM, *Rempublicam tenet, quæ si delabitur, & nomen Romanū, & Imperium amittimus.* Idem dicat sibi Religionis Prælatus, Disciplina maiorum Religionem tenet, quæ si delabitur, & nomen Religiosum, & Regnum Cælorum amittimus.

295. Regularium ergo Constitutionumq; obseruationi sedulo Superior inuigilet, cum ab hac prudens in vnoquoque ordine gubernatio dependeat, vt scribit *in suo Superiore Religioso lib.* 2. *ca.* 13. SCRIBANUS, sapientibus Maiorum placitis inhæreat, nec ad sinistram ab ijs, aut dextram deflectat; non gaudeat nouis à se inuentis, aut ab alijs mutuatis, sed fortiter primis quibusque institutis inhæreat, nec patiatur se quocunque etiam pietatis prætextu ab ijs abduci; quantum enim ab ijs deflexerit, tantum se sciet à proposito sibi fine aberrasse; singulis enim viuendi normam Spiritus sanctus peritissimus Ordinum ductor, & instructor tradidit, præfixitque in auctoribus limites, quos transgredi, fatui, temerarij, arrogantisque animi, plusque de prudentia sua, quam de Deo fidentis signum est.

296. Leges haud facile mutandas esse docent etiā *Politici*. Et Cleon constantiam in veteribus legibus sæpe præstare melioribus ostendit, dum prudenter censuit, meliorem esse statum Reipub.

quæ

quæ legibus vtitur deterioribus, ſed firmis, ea, quæ frequenter
eas commutat. Ratio primaria eſt; vt animaduertit ADAMVS
CONTZEN *in ſuis lib. Polit. lib. 5. c. 13.* quia nouitas ſemper ſuſpi-
297. ciones, ex ſuſpicione querelas, inde commotionem populi, aut
optimatum effecit. Veterum.n. legum abrogatio nonnullis no-
cumentum adfert, noua vero lex quibus prodeſt, non facit eos
amicos legislatori, quia ſuſpectam habent; quia de eius cõſtan-
tia dubitant, vereturq. ne inter tot mutationes, & illa mutetur.
Altera accedit ratio; quod rerum nouandarũ efficiuntur cupidi, qui
priuatis malis vrgentur. Dum multas legum abolere intelli-
gunt, ſpes improbas concipiunt, optimas etiam abolere poſſe;
Nouitatis ſtudium mutatione legũ inualeſcit. Et cum multi ad
præſentia nauſeant, & ad futura ſuſpenſi viuant, vt vere dixerit
ingenioſus Poeta,

Eſt quoque cunctarum nouitas gratiſſima rerum.
Nam *Vtilia ſunt nobis quæcumque prioribus annis*
Videmus, & ſordet, quidquid ſpectauimus olim.

Hæc in rerum nouarum ſtudia propẽſio lenitate publica adiu-
uari, & irritari non debet, nihil enim adeo firmum erit, quod nõ
conuellatur. Nam re vera continget, quod in cantilenis fieri
Homerus ait;

Eam cantionem maxime celebrant homines
Quæ audientibus nouiſſima accidit.

Ita vero vt nouos carminum flores, ita leges quoque nouas ab
incude, & follibus recentes inſita curioſitate poſtulabant. Cui
quidem curioſitati inimicus adeo PLATO exſtitit, vt de legum
iuſtitia, & integritate non modo diſputare, ſed quærere etiam
iuuenes vetuerit. Diſputent modo, & quærant adoleſcentes
Religioſi de ordinis conſtitutionum iuſtitia, & integritate, di-
ſputantes, & quærentes an ipſæ conſtitutiones obligent ad cul-
pam, an non, & ſimilia, contra ipſum Superiorem, qui aſſerit o-
bligare, & nouo ſuo præcepto etiam obligat. Non eſt tamen
vllo pacto dicendum, leges numquam eſſe mutandas; Nam ip-
ſas mutari poſſe, atque adeo debere, crebroq. mutatas docet
idem CONTZEN. Videmus etiam in Eccleſia non paucas leges
temporum ſucceſſu mutatas.
298. GERSON *Tom. 3. de conſol. Theol. proſa* 2. Præcipuũ cuiuslibet poli-
tiæ, etiam in monaſteriis regimen, ex rationabili legum ſuarum
ſtabi-

stabilitate resultat. Hinc illud à CONC. NIC. τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω Religiosi cœtus bene temperati, & recte sentientes mordicus suos mores leges retinere curantur. Essenos IOSEPH. *lib. 2. de bello Iud. c. 7. Iurare consueuisse* tradit inter alia, *se dogmata nulli aliter, quam accepit quilibet, traditurum.* Eo, vt opinor, consilio, ne statim peruerterentur, & alijs alijsque commentis inquinarentur. Tanta erat in ipsis cura moris antiqui retinendi. Sibi putabant dictum illud Ennianum, quod Religiosi quoque magni ducere debent in ipsorum Ordinum regulis moribusq. retinendis; Moribus antiquis res stat Romana consonat & PLIN. *in paneg. Traiani. Rempub. ijs institutis facillime perennare, quibus initio coaluit.*

299. Sed claudamus hanc nostram *Relectionem* sententia PETRI DAMIANI *ep.* 121. *ad Erem. Gamugn.* qui Monasterii cuiusdam habitatores cohortans ad conseruandum primæuum monasticæ vitæ feruorem, qui sensim intepescere solet, nisi subinde instauretur, hæc sapienter ait, *Nouimus enim de magna olim, & ardua, vix iam tenues superesse reliquias: Et sicut quod à Maioribus est omissum, non reparatur à nobis, ita quod apud nos per negligentiam deperit, nequaquam successorum nostrorum posteritas instaurabit, vt verum sit illud Horatij,*

Ætas parentum peior auis tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

Hæc mihi visa sunt, salua semper, non solum Catholicæ, Apostolicæ, & Romanæ Ecclesiæ, sed etiam omnium melius sentientium censura. Id tantum puto, vt quicumque hæc tanget, cognoscendi animum adferat, & simul ignoscendi, ac docendi; Faxo, vt nemo tam promptus sit ad monendum, quam ego ad mutandum. Quod si hæc mea forsan conturbent quemquam, is quicumque sit eam solum à me responsionem habebit, quam in simili dedit MOYSES ÆGYPTIVS *lib. 1. perplex.* Ad cuiuscumque manus deuenerit opus hoc, si inuenerit in eo illud, quod vult, vel in vno verbo, det gratias Deo; quod si nihil vtilitatis inuenerit in eo, reputet ac si non esset liber compositus.

LAVS DEO, MARIÆ, HIERONYMO.